



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...


Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Secundus Annus Chr. 1617.
Soc. 78.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER SECUNDUS

ANNUS CHR. 1617. SOC. 78.



NEUNTE anno sæculi decimo septimo, traducitur in Siciliam pia consuetudo mensuræ Communionis generalis, quam Romæ natam anno præterito demonstravimus. Felicibus plane initiis, & magno hominum concursu nova est instituta celeberrima Panormi in æde Professorum. Qui enim illo die sacra participarunt, ad quindecim millia numerati fuerunt, nec ferè quisquam nobilium ex eo numero defuit. Provinciam administrabat hoc tempore P. Carolus Mastrillus, vir olim oratoria excellens laude, sed nunc senio languidior, magistratu præterea suo, & ipsa concionandi desuetudine ab eo ministerio prorsus abstractus. Nihil tamen minus, vocatus à supremo ordinis Hierosolymitani Magistro Melitam ad habendas per majora jejunia sacras conciones, non ætatem, ut poterat, non muneris curas multas & varias excusavit, gravissimo demum labori se non subduxit. Collegit virtutem pristinam, & quasi emeritus miles denuo in aciem prodijt. Ut autem cœpit audiri, conceptam de se opinionem non æquavit modò, sed multis partibus superavit. Nemo audivisse illum dicitur, qui non melior fieret. Civitas universa novos eo concionante mores, & aliam induere faciem visa. Erat Melitæ grex meretricularum, quæ Equitum pudicitie insidiabantur, mille artibus ad libidinem prolectantes juventutem incautam, & plus nimio sequacem. Pleraque audito Mastrillo respuerunt. Incolæ novæ urbis (Vallettam appellant) solebant certis anni diebus sacram nescio quam ædem, quingentis ferme ab urbe passibus, invisum ire; sed quæ est interdum rerum etiam optime institutarum perversio, piam consuetudinem in occasionem nequitie verterant. Ibant enim promiscue homines inter muliercularum agmina, & pudet referre quæ inter illos fieri & dici non pudebat. Licentiam a Christianis moribus abhorrentem semel reprehendit Mastrillus, & una oratione sustulit. Verum hæc momenti levioris. Dissidium intercedebat grave & inveteratum inter magnum, ut vocant, Magistrum, & seniores ordinis. Distracti in factiones reliqui Equites, & diversis partibus, ut sua quemque studia, vel privatæ rationes moverant, adherentes, discordiam alebant prope insanabilem. Malo remedium adhibuit Mastrillus, quodque viri principes sæpe frustra

1.
RES PROVINCIAE
SICULÆ.
Consuetudo
mensuræ Com-
munionis Pa-
normum indu-
citur.

2.
P. Caroli Ma-
strilli conciones
quadragesimales
Melitæ, earum-
que fructus.

3.
Grave diffi-
dium inter Equi-
tes Hierosolymi-
tanos componi-
tur.

ten-

tentaverant, capita factionum perpulit, ut magno Magistro prius, deinde sibi invicem satisfacere; quo demum sublata est omnis contentio, & in ordinem nobilissimum concordia revocata.

^{4.}
RES NEAPOLI-
TANÆ.
Nostri juvenes
vicariæ carceres
excolendos sus-
cipiunt.

Dum hæc gerebantur in Provincia Sicula, Neapoli publicis privatisque hominum sermonibus celebrabatur studium singulare nostrorum in formandis ad pietatem vincis regii tribunalis, quam *Vicariam* vulgo appellant. Erant illæ custodiæ totidem quasi regni sentinæ, & omnium scelerum receptacula. Furta, sacrilegia, impiæ in Deum & superos voces, veneficia, libidines, & quæ alia nominare nefas flagitia, ibi regnabant impune. Cum enim novi quotidie facinorosi e toto regno contruderentur in hæc ergastula, indeque multi subinde ad trirèmes, aut ad patibulum traherentur; qui recenter adveniebant, sua importabant vitia, qui educebantur, sua relinquebant: succrescente in dies nova flagitiorum messe, & miserandum in modum luxuriante. Alebant peccandi impunitatem otium, & infamia, duo scelerum maxima incitamenta. Tot malis ut medicinam adhiberent aliqui Juvenes Societatis, cœperant ante annos novem itare illuc per dies festos, duce omnium & hortatore Petro Ferracuto, egregiæ spei juvene, qui tunc philosophicis studiis operabatur. Miscebant pia cum vincis colloquia, singulos ad detestationem criminum excitabant; sed initio nullum laboris fructum capiebant. Quod videntes custodes carcerum, laudabant illi quidem juvenum optimam mentem, at simul eorum simplicitatem irridebant, perinde quasi aquam postularent a pumice, qui inter ejusmodi hominum sordes excitare pietatem conarentur. Deo tamen pia incepta fortunante, capti paulatim, emollitique sunt juvenum optimorum charitate & patientia nonnulli. Quo facto, venit in mentem Ferracuto ex illa vincorum multitudine delectum habere, & sodalium in honorem B. Virginis instituere. Paucos selegit, quorum videbatur melior indoles, & vita correctior, eosque in formam piæ sodalitatæ conjunxit, sub titulo ac patrocinio Virginis a Monte Carmelo. Certas deinde præscripsit sodalitati leges, in quas sodales universi consenserunt. Legum hæc porro præcipuæ: ut sodales quotidie interessent divinæ rei: ut singulis minimum mensibus ad coelestem mensam accederent: ut certas corporis afflictiones identidem usurparent: ut rerum divinarum meditationi, ac lectioni piæ aliquam quotidie temporis partem traderent. Præterea ut elementa doctrinæ Christianæ rudibus explicarent: ut pacem foverent inter vincos: ut feria quarta, & sabbato pium supplicantium agmen per carcerem deducerent: ut quotannis missionem quasi domesticam obirent in ipso carcere: denique ut dierum festorum venerationem omni pietatis officio prosequerentur. Hæc ut servari ab illis, ut observari ab aliis cœperunt, dici vix potest, quantum universè mutaverit rerum facies. Obstructus illico aditus aleæ, scortis, ebrietati, cæterisque pestibus, quæ pridem ibi stabulabantur. Pro impiis & obscenis vocibus, quibus antea carceres per momenta singula personabant, nunc divina cantica, & Virginis laudes exaudiri. Nullæ jam rixæ, rara jurgia, pax & quies insolita, charitas vero tanta, ut cum adducebantur ex provinciis novi catenatorum manipuli, mirarentur majorem in modum. Occurrebant enim venientibus pii sodales, eos alloquio blando, & cunctis benevolentia significationibus excipiebant: ablucebant iisdem pedes, cœnam, & lectum parabant. Manavit interea in publicum rei tam insperatæ fama, & urbem admiratione complevit. Rescivit præ cæteris Archiepiscopus Neapolitanus Octavius Cardinalis Aquaviva, eaque re plurimum delectatus, florentem pietate & numero Congregationem confirmavit, ejusque omnes leges ratas esse ac firmas jussit. Eiusdem postea curam in perpetuum suscepit domus Professorum, certo designato Sacerdote, qui in procurationem illius sodalitatæ totus incumberet. Quæsitus etiam inter Procures civitatis patronus, qui cœtum per se ignobilem illustraret dignitate sua, auctoritate tueretur, videretque ne quid contra illum præter ordinem fieret.

^{5.}
Petrus Ferracutus
primum vincorum
sodalitium instituit.

^{6.}
Pii instituti fructus
uberrimi, ejusque confirmatio.

^{7.}
Alia duo sodalitia ad utilitatem vincorum eriguntur.

Hinc, ut proclive est ex bene cœptis ad meliora transire, altera sodalitas vincis nobilioribus est addicta, quæ præter leges cum priore communes, hoc ha-

haberet peculiare, ut sodales semel singulis annis spiritualibus S. Ignatii exercitiis animum excolerent, ut vincitorum pauperum, & ægrotantium curam præcipuam gererent, ut sacrum Viaticum, quando ad morientes defertur, cum accensis facibus deducerent. Dicata fuit sodalitas B. Virgini ab Angelo salutata. Tertia demum accessit congregatio, prioribus quasi auxiliaris. Nomen illi a Sanctissima Trinitate. Complectitur selectos cives, qui regio tribunali, seu *Vicaria*, novant operam. In hoc potissimum versatur eorum sollicitudo, ut vincitis morbo laborantibus opem ferant, curamque præcipuam gerant mulierum, quæ in peculiari carceris parte (domum poenitentia vocant) incluse detinentur. Tribus sodalitatibus ita constitutis, videbatur vincitorum corporibus animisque fati consultum, Non fati visum est Sodalibus Misericordiae, quod sodalitiū est in urbe Neapolitana frequens, & inclutum. Illi ergo in partem pii laboris venientes, suam libentissimè contulerunt operam vestiendis, alendis, collocandis in idoneo conclavi vincitis, præsertim recens advenientibus, qui tanto sæpe numero, tam improvisi, tam rebus omnibus destituti superveniunt, ut nisi maturè provisâ fuerint quæ sunt ad vitam & valetudinem necessaria, repentinis opprimantur morbis, & è medio tollantur, quod olim non raro accidisse constabat. In hunc usum transcribere partem ampli proventus, quem in pauperes erogandum administrabant. Atque hæc quidem omnia, citius feliciterque quam putaret, confecta vidit Ferracutus, saluberrimi operis præcipuus auctor, & parens. Idem postea, superatis quæ objiciebantur difficultatibus, pervicit, ut tri-duo ante Dominicam quinquagesimæ in sacello carcerum solemnibus quadraginta horarum supplicatio perageretur. Idem adolescentibus intra carceres extruenda curavit duo separata conclavia, ubi seorsum a natu grandioribus, & extra periculum injuriæ custodirentur. Eodem auctore, sua est excitata mulieribus adicula, in qua divinæ rei copiam haberent quotidie, confessionis vero piacularis quotiescunque opus esset. Non tamen putandum, nihil egisse demones ut hæc ad animarum salutem tam bene constituta convellerent. Omnes ex adverso moverunt machinas, vim, fraudes, odia, insectationesque adhibuerunt. Ferracutus Neapoli, ac Romæ falsis criminibus est circumventus, ac penè oppressus. Sed eorum ingratis stetit utilissimum institutum, & ad hanc usque ætatem feliciter perseverat. Boni contra sic eo sunt delectati, ut primores civitatis, ac præcipui Magistratus regii tribunalis, datis ad Præpositum Generalem litteris, agere gratias illi suo, urbis, ac Regis nomine non dubitaverint.

Inter hæc lata, coortitur ex improviso tempestas periculosa, quæ Patres Neapolitanos multum jactavit. Erat Romæ apud nos puer egregiæ indolis ex illustri Spinellorum genere, Marcellus nomine, eminebatque inter Convictores Seminarii Romani pietate, ingenio, & in addiscendis litteris diligentia. At incensus Societatis ineunda deliderio, nec veniam a parente exorabat, nec sine illa expugnare Præpositum Generalem poterat, ut se reciperet. Perstitit annum integrum orare, atque obsecrare frustra. Cum videretur a pio proposito dimoveri non posse, ejusque potius vota vehementius in dies incalescerent, Neapolim abducitur jussu parentis, Tarsia Principis, attinetur domi famulorum, custodia septus, ab omni nostrorum commercio arcetur. Angustias loci, & paternam indignationem pertulit aliquandiu Marcellus. At demum, acuate ingenium explendi voti cupiditate, custodes clam fefellit, fugam arripuit inob-servatus, ac denuo Romam venit, ubi tantum precibus & lacrymis valuit apud Generalem Præpositum, ut voti compos effectus, & tironibus aggregatus fuerit. Ut cognovit de filii fuga pater, vix credibile quantam irarum molem, conceperit. Adit e vestigio Proregem (erat is Petrus Gironus Oxunensium Dux), fidem ejus & æquitatem implorat, ereptum sibi filium queritur, orat obtestaturque, ut Jesuitas ad eum redhibendum compellat. Visa Proregi æqua postulatio, neque res factu difficilis; pro certo enim fumebat, non excessisse Neapoli adolescentem, sed alicubi a nostris occultum detineri. Nostros ergo admonet, sibi ut Marcellum quamprimum sistant. Excusare illi adolescentis ab-

sen-

8.

Sodalitas Misericordiae vincitis benefacere instituit.

9.

Alia Ferracuti beneficia erga carceres, ejusque ob eam causam molestia.

10.

Marcellus Spinellus in Societatem recipitur parente invito.

11.

Quot inde perturbationes ortæ fuerint, adverso nobis Prorege.

fentiam: facti culpam, si qua esset, a se amoliri. Non audiebantur. Cum res in longum extraheretur, Prorex contemptum se & dignitatem suam putans, ut erat in iram pronior, disponi circa domos Societatis præsidia militum jubet, cum acri mandato, ne quem ingredi, egredive sinant. Illatam viris locisque sacris vim, jura Ecclesiæ violata, non otiosi spectarunt Archiepiscopus Cardinalis, & Pontificius Nuncius. Nihil est factum propius, quam ut libelli anathematis contra regios ministros per urbem affigerentur. Sed cum hi scribebantur, jam Prorex milites revocaverat, parabatque alia via molestiam Societati exhibere. Paucis interjectis diebus, denunciatur Patribus, deliberatum sibi esse abolere sodalitates omnes in nostris domibus institutas: clandestina scilicet conventicula non esse permittenda apud homines dubiæ in Regem fidei, qui semper jura Pontificis contra regiam potestatem tuerentur. Ea denunciatione trepidatum est in nostris ubique domiciliis. Apparebat enim plus nimio exulceratum esse Proregis animum, constabatque non deesse in aula malevolos, qui aptis eriminationibus, & fermunculis oleum, ut ajunt, camino adderent. His rebus cognitis Mutius, memor in simili offensione delinitum ab se fuisse Gironum, uti libro proximo de rebus Siciliensibus agentes dicebamus, scripsit ad eum literas dignitatis simul & observantiæ plenas, sed nullo successu. Adhibuit apud eundem validos deprecatores, nec tamen iratum placavit. Servabatur nimirum operis perficiendi laus B. Parenti Ignatio, cujus demum interventu & beneficiis omnis est illa acerbitas mitigata.

12.
Delinitur Prorex B. P. Ignatii beneficiis.

Dies erat Ignatii anniversaria, eaque dieangebatur plurimum Prorex, quod nondum apparerent naves aliquot bellicæ, quas cum pluribus centuriis militum ab Hispania expectabat. Certo sciens eas a longo tempore vela fecisse, nec ignarus quot quantisque periculis maritima itinera sint obnoxia, adversi aliquid metuebat. Illato de hac re sermone in confesso nobilium, se quidem, inquit, minimè dubitaturum B. Ignatio, utcumque meriti de se essent ejus filii, lychnum argenteum mille aureorum donare, si naves cum milite incolumes reciperet intra mensem. Hac ille pridie Cal. Augusti. Triduo post naves Neapolim tenuerunt. Jam ergo voti damnatus, & beneficio obstrictus, aliam erga nos induere mentem cœpit vir optimi cateroqui moris, & nobis tunc quidem iratus, sed nunquam inimicus. Accessit post paulo novum Ignatii beneficium, quo ira est omnis extincta penitus, atque deleta. Tentabatur gravi ac permolesito morbo Prorex, cumque nullam neque noctu, neque interdiu partem quietis caperet, perferri ad se jussit aliquid ex Ignatii reliquiis. Dum eas exoscilatur, remisit momento febris æstuans, nec ita multo post prorfus evanuit. Hic enimvero deditionem fecit Oxunensis; ac reputans indignum esse, cum beneficia acceperis a parente, non aliquam vicem exsolvere ejus filiis, faciendum omnino sibi statuit, ut amicitiam pristinam redintegraret cum Societate, deleretque insigni aliqua honoris & benevolentiae significatione injuriam custodiarum, nobis ante sex menses illatam. Id eo a se deberi putavit magis, quod resciverat, pro ipsius valetudine indictas fuisse apud nostros in communi preces, & multiplex piaculorum genus adhibitum. Deliberanti quid opus facto esset, subiit celebritatem insignem edere in aede Professorum, quo die agebatur festum B. Virginis sine labe conceptæ. Ad hunc igitur diem, cum ornata prius fuisset ejus sumptu Basilica inusitato splendore ac pompa, affuit ipse cum magno procerum comitatu, affusosque obviam Patres amicè admodum comiterque allocutus, non solum quæ intra ædem peracta sunt religionis officia præsentia illustravit sua, verum etiam devectum longo circuitu per celebriores urbis vias simulacrum Virginis religiosè deduxit. Ea porro supplicatione nihil magnificentius, nihil post hominum memoriam splendidius. Parietes domorum, quæcunque transeundum fuit, peripetasmatis diversi generis erant intecti. Surgebant in viarum capitibus triumphales fornices, cum inscriptionibus, & emblematis. Legiones per locorum intervalla dispositæ signum Deiparæ minoribus balistis salutabant, more bellico. Balistis majori fragore ex arcibus respondebant

13.
Idem in aede nostra insignem edit celebritatem, mutati animi documento.

tormenta curulia. Urbs tota suis prope convulsa sedibus præ gaudio videbatur. Producta fuit in noctem lætitia. Fenestræ omnes ac viæ nocturnis luminibus, & festis ignibus coruscarunt. Omnino acta res principali magnificentia, de qua ut multus fuit per eos dies sermo Neapoli, ita una omnium audita vox; Oxunensium Ducem factò tam honorifico reddidisse Societati cumulatissimè, si quid antea in astu iracundiæ, aut custodiarum ignominia, aut verborum inclementia detraxisset.

Aversa interim, quæ civitas regni Neapolitani notissima, novum domicilium tribuitur Societati, sed quale nec optari à nobis, nec retineri diu poterat. Episcopus ejus urbis Carolus Carafa, cum esset anno præterito Romæ, aliquot poposcerat à Mutio Socios, spem minimè dubiam faciens, intra breve tempus collegium erectum iri. Mutius ut ei morem gereret, tres ire Aversam jussit Sacerdotes, cum Fratre rei domesticæ adjutore. Jerunt illi libentissime: at domicilium paratum ipsis erat nullum, præter seminarium Episcopale, cujus tantum administratio Societati offerebatur. Patres, qui se ad usitata ordinis ministeria vocatos crederent, sua spe frustrati, & alienum a se censentes in regendis duntaxat paucis adolescentibus occupari, referre continuo pedem cogitabant. Prius tamen Præpositum Generalem per litteras docuerunt quo res essent loco: simul quid opus factò esset, exquisierunt. Manere eos jussit Mutius, & curam seminarii suscipere; cum hoc tamen, ut nec alumnos affectarentur per urbis vias, nec in eorum conclavibus habitarent, nec rei familiaris oeconomicam administrationem attingerent. Consensit in conditiones Episcopus. Patres in loco mansere, curam gerentes omnium, quæ ad studia litterarum, ad pietatem, ad disciplinam domesticam pertinerent. At sexto post mense, cum nulla affulgeret collegii instituendi spes, Episcopus autem mutati animi præberet indicia, cum bona ejus venia stationem deseruere.

Felicis in Provincia Veneta cessit stationi Regiensi. Eam civitas ante annos septem sustentare coeperat, certo constituto proventu, quantumvis modico. Nunc duo germani fratres ex familia Ruffinia nobili, ac locuplete, eandem, collata patrimonii parte, in collegium extulerunt. Dubitavit nonnihil Mutius, utrum iis nomen & prærogativas Fundatorum tribueret. Ut enim essent de collegio insigniter meriti, videbantur tamen perfecisse illud potius, quam ex integro condidisse. Sed expensa donationis magnitudine, & huic addita singulari beneficentia, qua semper antea nostris ultro citroque commitantibus hospitium Regii præbere consueverant, dignos censuit, quos Regiensi collegii fundatores appellaret. Per idem tempus orbatur Provincia Veneta carissimo, & optimo moderatore suo P. Octaviano Navarola, nec minus multis quam veris lacrymis jacturam tam cari capitis dolet. Natus erat Cremonæ Navarola ante annos amplius sexaginta. Bononiæ diem clausit extremum XVI I. Cal. Octobris, nondum evoluto biennio regiminis, quo cum eximia omnium approbatione fugebatur. Ab omnibus, tum nostris, tum etiam externis, vir sanctus habebatur, & passim audiebat: quæ laus homini tanto debebatur æquius, quanto magis humiliter ac demisse de se ipse sentiebat. Cum esset iis dotibus egregiè instructus, quæ ad gubernandum requiruntur, eas tamen ipse non videbat unus, summa proinde contentione superiorem quemlibet locum in Societate refugiens, & imparem se atque indignum existimans. In gerendis magistratibus religiosæ disciplinæ custos, & exactor erat adeo diligens, ut hac una re videri submolestus posset. Id si exciperes, nihil Navarola fieri benignius poterat, nihil humanius. Irasci, aut quempiam durioribus verbis accipere, nunquam est visus, quantumvis acer natura, & fervidus. Auctoritate parcius utebatur, nec in quemquam severius quam in se exercebat imperium, hanc usurpare vocem solitus, bene detrahi auctoritati quidquid charitati additur. Nulli parcebat curæ in sublevandis, consolandis, reficiendis ægrotantibus: nulli sumptui, ut necessaria sanis ac valentibus præsidia compararet; tanto diligentior in procurandis alienis commodis, quanto negligentior in suis. Cum verfaretur in Germania,

To. I.

M

(ubi

14.
Aversa statio
Societatis collo-
catur, mox a no-
stris deseritur.

15.
RES PROVINCIAE
VENETAE.
Residentia Re-
giensis in col-
legium erigitur.

16.
Obitus & elo-
gium P. Octa-
viani Navarolæ.

(ubi & Brunense tirocinium ad multos annos, & totam deinde provinciam Austriæ rexit) meram ad potum aquam adhibebat, ne ad potentium geniales epulas invitaretur. Hiberna frigora, quibus Longobardiæ cœlum riget, dum provinciam visitandis collegiis percurreret, vel foco, vel pexa & molliori veste ut leiret, adduci nunquam potuit. Licet urgentibus negotiis vigilare interdum ad multam noctem cogeretur, somnum tamen non producebat ultra consuetam surgendi horam, ut destinatum meditationi tempus cum cæteris traderet. Arte opus erat, ut ei vestis nova in locum annoſæ ac detrita substitueretur. Ægerimè ferebat Medicorum in gravi & ignoto, quo demum consumptus est, morbo consultationes, & exquisita remedia, sanitatem effœti jam senio corporis, ac ne vitam quidem tanti esse dicitans. Morti proximus rogavit humi deponi, ut Christum in nuda cruce mortuum propius imitaretur.

17.
P. Franciscus
Stadiera Socie-
tatem deserere
statuit.

Hoc ita sublato viro, parum ac prope nihil abfuit, quin alium æquè memorabilem nobis adimeret, non mors, sed morte penè dixerim luctuosior ejus levitas, & inconstantia. Fuit is P. Franciscus Stadiera, acris ille quidem ingenii vir, & exquisitæ eruditionis, quam longo studio, & labore assiduo comparaverat: sed vitio naturæ iniquis, asper moribus, parumque tractabilis. Ex omnibus quæ Societas complectitur ministeriis, nulli minus aptus videbatur, quam habendis concionibus. Non vox, non actio congruebat. Ille non aliud malle, & præter hoc unum, à cæteris abhorrere. Non inveniens in tota provincia ubi pacatè viveret, multis afflictabatur angoribus, quorum causas, non ut debebat in se, sed in socios ac Præsides rejiciebat. Quod itaque remissioribus religiosis non raro persuadet ejusmodi ægritudo, consilium cepit ad alium ordinem transeundi. Re deliberata, missionem à Præposito Generali peti, illud etiam atque etiam rogans, ne moras usitatas, sed inutiles necat: omnem quippe cunctationem sibi, non ad mutandam voluntatem, sed ad molestiæ cumulum valituram. Non difficilem se præbuit Mutius. Rectè existimans, hominem tam inquieti spiritus, quantumvis doctum, semper molestum & gravem Societati fore, facile induxit animum ut postulatis annueret. Stadiera potens voti factus, diem constituit, qua ad alia castra migraret. Incurrebat forte in illam diem festum Pauli Apostoli ad Christum conversi. Pridie ejus diei sub noctem, cum se cubitum contulisset Stadiera, tot simul pungi cœpit conscientiæ stimulis, tot æstuarè sollicitudinum fluctibus, ut somnum captaret frustra. Blanda, sed valida vi ad Deum compellebatur. Exclamat, ut olim Paulus: *Domine, quid me vis facere?* ac totidem responderi verbis audit: *Quod antea fecisti, sed melius:* quas voces postea testabatur, perceptas sibi fuisse ipsius auribus, cum maximè vigilaret, & omnino sui compos esset. Vix autem ea, & confestim ipsi quoque, ut Paulo, squamma ex oculis ceciderunt. Vidit, quæ antea dura & intoleranda existimaverat, nihil habere, quod non facillimè ferri Deo adjuvante posset. Vidit quibus irretitus fuisset à stygio veteratore tendiculis, in quod barathrum se præcipitem daret. Exhorruit, gratias egit Numini, mentem & consilium mutavit: neque solum Societatem non deseruit, sed ducto inde vitæ sanctioris exordio, totum se Deo ac virtuti tradidit, totum obedientiæ permisit. Uti nunc cœpit, ita perrexit postea usque ad extremum, exemplo domi forisque semper laudato: donec anno sæculi trigesimo, lue Bononiam vastante, dum ægrotis vitæ suæ prodigus famulatur, piè decessit. Exstat posthumum ejus opus, quod *Fallacias explicatas* inscripsit: aureus liber, & studiosis Christianæ perfectionis cum primis utilis.

18.
Missionem impe-
trata, consilium
divinitus mutat,
& perseverat in
Societate.

19.
RES PROVINCIÆ
MEDIOLANEN-
SIS.

Fructuosi Pa-
trum labores in
castris Allobro-
gum, & Hispa-
norum.

In Provincia Mediolanensi, flagrante adhuc bello, quod ante biennium exarserat inter Allobroges & Hispanos, nostri apud utrosque pietatis arma suo more tractabant. Ex una parte pervaserat in castra Allobrogum sæva morbi vis, quæ multos, præsertim Gallorum auxiliarium, prosternebat. His præsto fuerunt Patres Taurinenses. Distributi enim per militaria Nosocomia, audiendis confessionibus, ministrandis sacris, ægrotis recreandis sedulam operam impenderunt. Ex altera, ut plures Germanorum legiones Hispano militabant, multique in iis

in-

inveniebantur hæresi Lutherana, quæ pestis multo nocentior, infecti, operam haud minus utilem Patres Mediolanenses posuerunt. Amplius septuaginta fuerunt Hæretici per eos ad Ecclesiam reducti. Erat eodem anno Genuæ P. Nicolaus Promontorius, quamque pridem Romæ fundaverat, & in alias deinde Italiae urbes invexerat, mensuræ synaxeos religionem, hic quoque constituendam curabat. Successu non caruit pium consilium. Accepta res est approbatione omnium ordinum summa; cumque periculum fieri placuisset in S. Ambrosii, primo illo die de sacro epulo participarunt Genuenses magno numero, usque ad quadraginta millia. Eandem mox consuetudinem Promontorius transtulit Alexandriam, nec dispari eventu. Sed, quod dolendum maximè, nec tamen dissimulandum, id illi rerum in Societate gestarum ultimum fuit. Etenim haud multo post tantæ frugis operarius ab ea defecit, utile documentum relinquens posteritati, primam Apostolici viri curam esse oportere, ut salutis suæ, & perfectioni consulat. Causas tam nec opinatæ mutationis non habeo dicere. Tantum in monumentis invenio, Alexandria Sarzanam venisse Promontorium, ut longavæ matris mœrorem & orbitatem consolaretur: inde Romam reversum, missionem flagitasse adeo pertinaciter, ut extorserit.

Pertinet ad Mediolanensem provinciam insula Corfica. Dividitur perpetuo montium altissimorum jugo, à septentrione in meridiem ducto, in partes duas. In ea parte, quæ boream & orientem solem spectat, Bastia, regni primaria civitas, gaudebat jam collegio Societatis. Alteri, versus occasum & austrum, porrectæ, datum est hoc anno suum in urbe Adjacio, quæ primum post Bastiam obtinet toto regno locum, sive multitudinem civium, sive copiam mercimoniorum spectes. Collegio condendo sumptum contulere nobiles aequè ac pii cives Genuenses, Joannes Stephanus Auria, Marcus Antonius Auria, & Joannes Lucas item Auria, nec non Petrus Franciscus Salutius. Adjacium ergo apulere VII. Idus Octobres Sacerdotes Societatis quatuor, & bini minoris ordinis Clerici, prima nascentis collegii familia. Quibus honoris & lætitiæ signis excepti fuerint, non est dictu facile. Urbem intrantibus affusi obviam sunt magno numero cives, fausta illis omnia comprecantes. Flexis eisdem genibus salutabant è populo plures, seque enimvero beatos prædicabant, qui tales Dei ministros, tandiu frustra expetitos, tandem essent divino munere consecuti. Vifum Patribus nihil esse cunctandum, quominus amantissimam civitatem Evangelico ministerio susciperent excolendam. Exulta est, missione sacra ad octo dies producta, magnum operæ pretium factum. Erat civitatis conditio admodum miserabilis. Populus otio & desidia marcebat, simulque turpi cœlestium ignorantia laborabat. Sacerdotum par incitiam, graviora etiam flagitia. Nullum in veste discrimen a populo: audacia incredibilis ad fovenda internecina odia, ciendasque factiones, quarum ipsi duces erant, & antesignani. Tempa sordida, squalida, inornata. Nonnihil erat in tantis malis solatii, gentis mira docilitas, qua feliciter utentes nostri, fructum legerunt labori non exiguo parem, spe prope majorem. Rediit concordia in familias, in forum æquitas, in Deum & res divinas amor, ac veneratio. Puerilis ætas admirationi præsertim fuit. Qui prius vagi, petulantes, protervi, ludo, choreis, libidinibus indulgebant, jam litteris operam dare, modestiam ac pudorem ore ipso, & incessu præ se ferre. Sic urbe novam in lucem è diuturnis tenebris velut educta, procursum est in finitimos agros, extirpati vitiorum infelices tribuli, virtutum Christianarum semen ubique jactum. Conati præcipuè sunt Patres colligere opportunis locis Pastorum & Agricolarum mapalia, per montes devios & saltuosos temere sparsa, ut rustici illi, & feroces incolæ, unius majoris oppiduli communiione juncti, erudirentur facilius, & silvestres animos citius exuerent.

Sed jam ab Italia gradum facimus in Germaniam, quæ superior dicitur. Dux Neoburgensium Wolfgangus Wilhelmus, veræ fidei studiosissimus Princeps, gnarus quantum momenti in recta puerorum institutione sit positum, quod pridem deliberabat de eripiendo Lutheranis magistris, & Societati tradendo gy-

T. I.

M 2

mna-

20.
Institutum
mensuræ com-
munionis pro-
pagatur per Pa-
trem Nicolaum
Promontorium.

21.
At idem mox a
Societate desi-
cit.

22.
Initia collegii
Adjacensis in
Corfica,

23.
Primi Patrum
Adjacensium la-
bores, & fru-
ctus.

24.
RES GERMANIÆ
SUPERIORIS.
Gymnasium
Neoburgense
Societati tradi-
tum.

25.
Pelluntur hæretici pastores, & his nostri subrogantur.

26.
Labores Sociorum in variis Provinciæ locis, & laborum fructus.

27.
Testimonium Episcopi Augustani de nostris Abusiaci confidentibus.

28.
Constituitur residentia Eluacensis.

mnasio Neoburgensi, id anno labente perfecit ad xvi. Cal. Februarii. Ea res vix credibile, quantum irritaverit Hæreticorum ministros. Illatam sibi, ut rebantur, injuriam cum aliter ulcisci non possent, id saltem conabantur initio; ne cives liberos suos nostris hominibus in disciplinam traderent. Et vero multis persuadebant. Hinc aliquandiu apud nos discipulorum mira paucitas, & scholarum tristissima solitudo. Sed non propterea Patres, quod futurum sperabant adversarii, docendi provinciam dimiserunt. Rerum usu edocti, omnes bene cœptorum difficultates constantia minui, perrexere uti cœperant exiguum puerorum numerum instituere eodem ardore ac diligentia, ac si palæstram haberent florentissimam; donec spe sua dejecti cives, ac plane intelligentes, ratum fixumque esse Principi non alios Neoburgi professores pati, quam nostros, his demum suos liberos permiserunt. Sic teneriori ætati consultum. Adjecit deinde animum Princeps ad natu grandiores. His porro ut prospiceret, pellere cogitabat è viginti admodum curiis Pastores hæreticos, iisque Catholicos substituere. Cunctabatur tamen ea ratione, quod nondum satis perspexerat, quatenus id sibi liceret. Dum ambigit, & Theologos consulit, notatum est, inter cætera privilegia illi nuper à Pontifice Paulo V. concessa, esse usum juris, ut vocant, patronatus in Paroecias minimum triginta, quas olim Præsules monasteriorum administraverant. Id satis visum ut anxietatem deponeret, & rem optatissimam, imò necessariam, non ultra differret. Cum non essent ad manus idonei Sacerdotes, qui tot simul ejectis Pseudopastoribus subrogarentur, eos interim sumi placuit de Societate. Subiere nostri in vacuas sedes quo decuit animo, ac statim sinceræ doctrinæ fontes recludere erranti populo instituerunt: quæ res hæresi cladem paulatim in Palatinatu, & ultimam perniciem attulit. Hæreseos vulnus haud leve fuit prompta transitio ad Catholicos Joannis Zeschlini, viri doctrina egregii, & in aula Palatina Cancellarii, quem hætenus erroris tenacissimum ad deditionem coegit P. Jacobus Rheingius. Vulnere totidem fuerunt alii plures similiter errore docti, & expugnati. Sed de singulis dicere longum esset. Atque has tulit primitias collegium Neoburgense.

In Eystadiano florebant quam ubi maxime ministeria Societatis. Ex eo Berchingam sunt missi Sociorum duo, ac præter alia præclare gesta, Magistratui Berchingensi persuaserunt, ut rudibus puerisque, quorum lacrymabilis erat incertitia, daret perpetuum Catechistam, à quo deinceps erudirentur. Alii duo Hervedam vocati, ut maleficos aliquot rogo damnatos ad supplicium piè ferendum præpararent, quamdiu ibi fuerunt, ea dedere modestiæ & charitatis exempla, ut accolæ Anspacenses, etsi hæretici, palam affirmarent, longè alios sibi visos esse Jesuitas, quam à suis ministris audire consueverant. Ad collegium Dilinganum duæ pertinebant per istud tempus stationes, Donavertana, & Abusiacenlis, quarum neutra jam superest. Utraque fruges dedit non poenitendas. Donavertæ intra biennium Lutherani amplius quingenti Catholicis aggregati fuerunt. Abusiaci à sex fere annis confidebat par Sociorum. De illis Episcopus Augustanus Henricus à Knoringio ita perferibebat hoc anno ad Mutium: „ Quantum fructus tam exiguo tempore collegerint Patres, qua publicis, qua privatis sermonibus, probitate præsertim, & vitæ religiosissimæ exemplis, documento sunt civium emendati mores, & nova pietas. Nam qui antea vix semel in anno adigi poterant, ut peccata confessione eluerent, & panem Eucharisticum sumerent, nunc id aliquoties intra annum factitare magno numero solent. „ Secundum hæc pergit rogare Mutium, ut duobus illis Patribus additos velit alios totidem, qui primas doceant litteras, & in vicos pagosque circumjacentes excurrant. Morem gessit optimo Antistiti Vitelleschus: sed non proinde illa statio radices egit. Eluaci contra, quæ missio tantum incerti erat temporis, fit hoc anno stabilis residentia Dilingano collegio obnoxia. Eluacum vocati fuerant nostri, ut quamplurimis maleficarum artium damnatis præsto essent in extremo supplicio. Id illi non minus sedulo quam utiliter cum præstitissent, duorumque annorum spatio tres supra trecentos ad rogam deduxissent, quæstione demum de

de magicis artibus intermissa, parabant ad suos regredi. Vetuit Præpositus ejus Ecclesiæ Joannes Jacobus Plarer, decretum sibi esse inquiens Societatem perpetuò habere apud se. Plararium rogabat Præpositus Provincialis Christophorus Grenzingus, ut Patres dimitteret. Injusta postulari, respondit ipse, quippe sibi, ac populo Eluacensi noxia. Neque vero se inducturum fuisse in animum, ut impositam dignitatem acciperet, nisi certo sperasset, auxilio sibi futuros homines Societatis. Non licuit tam benevolæ voluntati ultra obistere. Relicti itaque sunt Eluaci qui hætenus fuerant duo Sacerdotes, & exinde illa statio ex temporaria in perpetuam transit.

Etiã Provinciæ Austriacæ novas hic annus peperit domos, & primo collegium Cremsense. Sed de hoc prius quam dicam, aliquid de Fundatore dicendum est. Fuit is Michael Adolphus Comes ab Althan, qui ex perditæ hæretico Catholicus studiosissimus, totus erat in propagando Christi nomine & cultu, multus etiã in ornanda beneficiis Societate, cui suum ad fidem accessum se, secundum Deum, debere profitebatur. Interest vero scire, quæ tantæ mutationis fuerit causa. Pragæ cum esset, conspicatus in ponte effigiem Christi è cruce pendentis, quam prætereuntes venerabantur, ut solebat Romana sacra ritusque omnes impiè execrari, derisit simplicitatem populi, & incusso altius capiti petaso, commurmurans, ac frendens, superstitionem, ut aiebat, increpuit. Paulum inde processerat; cum visus illi subito pons dehiscere, & aperiri sub pedibus vorago terribilis, cujus in crepidine labaret ipse, volvendus in præceps. Retulit semianimis gradum. Mox poenam impietatis haud temere suspicans, redit ad sacram effigiem, honorem illi habet aperto capite, Christum supplex orat, ut veniam licet immerenti det, & viam veritatis ostendat. Ita precatus, in nostrum S. Clementis collegium properat, eruditur, mutatur, Rominae fidei sacramentum dicit, è pessimo denique Lutherano fit insigni pietate, Catholicus. Argumento esse potest votum quo se obstrinxit, nihil unquam commissurum, quod alienum à divina voluntate cognosceret. Ardua sane res, quam tamen tam sanctè præstitit, ut omnia deinceps ejus consilia, dicta, facta unicam Dei voluntatem gloriamque spectaverint. Hinc summus ille ardor propagandæ inter Ethnicos, Turcas, & barbaros fidei. Hinc voluntas egregia erga nostram Societatem, quam videbat in hanc præcipuè divinæ gloriæ amplificandæ curam incumbere, quamque propterea pluribus augere studuit collegiis, nulli parcens sumptui, modo Christi regnum proferre posset. Longum esset percernere, quot modis, quot impensis religionem & pietatem amplificaverit in Bosnia, Valachia, Tartaria minore, vicinisque regionibus: quot templa diruta refecerit, refecta ornaverit, quot aras instauraverit, quot cœnobita sustentaverit, quot captivos vindicaverit in libertatem, quot nobiles ob religionis causam fortunis everfos sublevaverit, quot Ecclesiæ desertores ad ejus gremium reduxerit ipsemet, aut reducendos curaverit. Quæ cum Urbanus VIII. P. M. cognovisset, nihil dubitavit litteras ad eum scribere perhonorificas, & tam illustrem virtutem verbis amantissimis gratulari. Imperatores vero Rodolphus II., Mathias, & Ferdinandus II., Adolphum, tanquam Heroem ad religionis & Imperii decus divino munere datum, eximiis honoribus ac præmiis ornaverunt.

Ejurata igitur hæresi, Adolphus pactum iniit cum uxore Elifabeta Stotzingia, matrona æquè nobili ac religiosa, ut de communibus bonis collegia Societatis, ubicunque possent, constituerent. Cogitantibus unde initium sumerent, occurrit Cremsa, urbs Austriæ inferioris ad lavam Danubii ripam, undecim ferè millibus passuum citra Viennam; quæ cum esset situ opportuna, quippe commeantibus ultro citroque ad aulam Cæsaris obviam, & ad hæc civium frequentia, opibus, & rerum omnium copia in paucis florens, cæteris tunc quidem præferenda urbibus videbatur, cum præsertim civium pars multo maxima Lutherum sectarentur. Re deliberata, tantum quærebatur Cremsæ aptus collegio collocando locus. Quæ urbs ad aquilonem spectat, collis affurgit leniter acclivis. In eo summo templum erat B. Virgini sacrum, amplum illud,

29.
RES PROVINCIAE
AUSTRIACÆ.
Memorabilis
conversio Mi-
chaëlis Adolphi
comitis ab Al-
than.

30.
Ejusdem virtu-
tes eximia, &
insigne studium
Catholicæ reli-
gionis.

31.
Ejus sumptu
collegium So-
cietatis erigitur
Cremsæ.

ma-

32.
Ladislavus Popelius Societatem inducit Holeskoviam.

magnificum, & operis elegantia spectandum, quod si Societati attribueretur ab Episcopo Passaviensi (erat is Leopoldus Austriacus, germanus frater Ferdinandi tunc Carinthiæ Archiducis, paulo post Cæsaris), censebat Adolphus, non alio melius loco collegium posse constitui. Rogatus itaque est de templo Leopoldus. Is autem, ut erat nostri ordinis fautor eximius, non solum petitioni prolixè annuit, sed etiam Canonicis, ut templi donationem à se factam ratam firmamque esse vellent, persuasit. At præter templum, nihil erat initio in jure Societatis. Quare cum advenissent nostri Cremsam, apud Patres Capuccinos, ipsis benignè invitantibus, aliquandiu ut hospites habitaverunt, donec propriæ ipsi aedes à munificis Fundatoribus paratæ fuerunt. Pari religionis amplificandæ studio motus est Ladislavus Popelius, ut Societatem induceret Holeskoviam, suæ ditionis oppidum non ignobile in Moravia, sed omnino hæreticum. Templâ, & parœcias ibi omnes occupabant, partim Picarditæ, partim Lutherani. Catholico cultui locus erat nusquam, nisi in arce, inter Principis familiares. Popelius ergo, supremus armorum dux in Moravia renunciatus, cum venisset Holeskoviam, quatuor evocavit è collegio Olomucensium Patres, ut oppidanos ab errore ad veritatem adducerent. Id illi magno animo aggressi, multos brevi tempore Catholicis aggregaverunt: quodque jucundissimum accidit, fuit inter primos fortunati laboris fructus nobilissima virgo Anna Maria, Comitissa de Salmis, Popelio ipsi desponsa. Latus successu consiliorum suorum Toparcha, Societatem ibidem collocare in domicilio stabili cogitabat. Dum secum deliberat qua istud ratione perficeret, commodum accidit ut minister Picarditarum committeret, cur deberet urbe ejici, & spoliari bonis. Arripuit occasionem Popelius. Ministro ejectione, ejus domum, & domui conjunctam sacram aedem Societati transcripsit, addiditque mox, unde Patres non incommodè sustentarentur, prædiola, quæ sceleratus acceperat a gregalibus. Ita constituta fuit domus Holeskoviensis, apta illa quidem, sed brevis ævi futura. Duos annos circiter illam tenuit Societas, donec scilicet tota excedere Bohemia Moraviaque, ut suo loco narrabimus, coacta est.

33.
Hæretici ad veritatem adducti in variis Provinciæ partibus.

Quam multi fuerint hoc anno per totam latè Provinciam Austriacam ab hæresi ad Ecclesiam revocati, nemo satis accuratè recensuit. Excessisse eorum numerum ad multa millia, credibile faciunt fructuosæ expeditiones ad diversa loca susceptæ, quarum specimen subdo. Oppidum est in Austria frequens Eisenstadium, sed quam frequens, tam erat hoc tempore corruptum. Regnabat ibi hæresis adeo impune, ut vix Catholici ritus vestigium exstaret. Par nostrorum ad illud per intervalla temporum excurrentes, totum ferè Catholicum relinquere. In Moravia amplam ditionem obtinet Antistes Olomucensis. Caput ditionis Zara. Huic tria subsunt minora oppida, pagi duo supra quadraginta. Totam regionem adeo contaminaverant Hussitæ prius, postea Lutherani, ut si paucissimos excipias Zaræ commorantes, Catholicorum nihil uspiam inveniretur. Ita res habebant, cum Episcopus Franciscus Cardinalis à Dietrechstein duos è Brunensi probationis domo Patres immisit Zaram, ut concionibus publicis, privatisque sermonibus dogma Catholicum cæco populo persuaderent. Persuaserunt tam feliciter, ut civitas universa Romanum cultum duo ante sæcula abdicatum resumpsit. Ex urbe itum est in pagos & oppida circumposita, lata ubique fruges lætæ; nisi quod Musticenses oblatam veritatem diutius aliquanto, & pertinacius repulerunt. Sic ibi, sic in aliis amplissimæ Provinciæ locis gesta res. Trecentos octoginta duos ad Ecclesiæ gremium adduxere Socii Pragenfes, in iisque filium primogenitum Henrici Lavemburgensis in inferiori Saxonia Ducis. Egregium juvenem dudum percusserat dignitas & sanctimonia cæremoniarum, quibus religio Catholica Numinis majestatem sensibus velut admovet, animosque per signa corporea sapienter instruit. Illas cognoscere studuit accuratius, & latentem veritatem per hæc quasi vestigia secutus, assecutus etiam est Pragæ, quo se contulerat, ut inde in Cæsaris castra transfiret. Verum in medio rerum secundissimarum cursu non nihil turbatum est Olomucii, atque hæc fuit occasio.

34.
Fit Catholicus Pragæ Princeps Lavemburgensis.

Jus

Jus olim concesserat Rodulphus Cæsar Academiæ Olomucensi, ut de causis Academicorum nemo cognosceret, præter constitutos ab ipsa Judices, idque semper antea servatum nemine reclamante fuerat. Accidit ut in agro suburbano jurgium nescio quod oriretur inter nobiles aliquot scholasticos, & agricolas. Jurgio dum se immiscent scholasticorum famuli, unum ex his villici capiunt, abripiuntque in carcerem sui pagi. Eum collegii Rector P. Gregorius Rumer, ne Academiæ jus & immunitas læderetur, sibi tradi postulabat. Sed cum abesset tunc Olomucio Cardinalis Dietrechsteinius Episcopus, & Gubernator Moraviæ, eaque propter per litteras agendum esset, dum littera ultro citroque commeant, moram iniquius ferentes academici, sumptis armis ad pagum provolant. effringunt vi carcerem, exutum vinculis famulum in urbem ovantes inducunt. Nemo fuit Patrum, qui non id ut temere & insolenter factum reprehenderet. Inventi nihilominus qui Cardinalem falsis relationibus occuparent, arguerentque homines Societatis ut facti conscios, & tranquillitatis publicæ perturbatores. Haud difficile Rumero fuit calumniam diluere, seque ac socios culpa liberare. At de scholasticis hac demum conditione pacisci debuit, ut qui vincitum extraxerant, illum reducerent in eundem carcerem, graviore poena multandi, si facere cunctarentur. Paruerunt illi quamvis inviti: at simul quiritantes, tolli Academiæ sua contra fas privilegia, eam frequentare desierunt, multosque sodalium in societatem ejusdem consilii traxerunt. Hinc in scholis, præsertim altiorum disciplinarum, moeror, silentium, ac solitudo: donec novo ineunte anno Cæsar, confirmatis Academiæ pristinis privilegiis, frequentiam ei quoque pristinam, & lætitiã restituit.

Inter has rerum vices, doluit Societas Austriaca, nec immerito, ereptum sibi suum Præpositum P. Ferdinandum Alberum, patria Tirolensem, quem prope ut parentem optimum, & observabat, & diligebat. Per omnes illustriores ordinis præfecturas traductus fuerat vir præclarus, suamque ita semper probaverat sedulitatem atque prudentiam, ut hac præsertim causa dignus putaretur vita longiore, ut diutius imperaret. Eum Claudius Generalis, hominum æstimator eximius, provinciæ Austriacæ primò, deinde provinciæ Superioris Germaniæ præfecerat, postremo ad Rhenanam cum potestate Visitatoris miserat. Eundem cum accepisset à sexta generali Congregatione pro Germaniâ Assistentem, quo proximius intimiusque agnoscere potuit hominem, eo majori habuit in pretio. Itaque proxime moriturus, officii sui Vicarium generalem reliquit pro tempore interregni, quo tempore Alberus univèrsum ordinem cum ingenti laude administravit. Suffecto in Claudii locum Mutio Vitellescho, iterum Alberus præficitur Societati Austriacæ. At ejus domicilia dum lustrat, in morbum lapsus, III. Cal. Novembres piè decessit Homonæ in Hungaria, cum numeraret vitæ annos novem supra sexaginta. Paulo ante quam moreretur, Socios qui aderant ad sollicitam instituti custodiam supremis, & gravissimis verbis est cohortatus. Hujus moerorem funeris auxit obitus P. Joannis Hilin, Concionatoris, non Austriæ solum, sed totius ferè Germaniæ præstantissimi. Cooptatus fuerat in provinciam Germaniæ Superioris: sed eum Ratisbonæ concionantem cum audisset Rodulphus Cæsar, Viennam traducendum curavit, ratus tantam dicendi facultatem non alibi melius, quam in urbe imperii sede futuram. Annos septem Hilinus conciones habuit in S. Stephani: quo temporis spatio multos ab heresi ad veram fidem, plures à solutioris vitæ genere ad frugem bonam reduxit. Fidem penè superat, quantam obtineret opinionem virtutis, quanto apud omnes in pretio esset. Ut increbruit Viennæ, Hilinum periculosè decumbere, tota ferme civitas commoveri visa. In duobus sacrarum Virginum templis data in conspectum populi sacrosancta Hostia, & supplicationes quadraginta horarum indictæ, quas summi infimique frequentarunt. Quosdam ferunt sua capita Deo O. M. pro ipsius incolumitate devovisse, quod tamen effectu caruit. Mortuo pia sodalitas à Christi corpore nuncupata funus quam apparatusimum celebravit in æde S. Stephani: Nec multo post prostrare palam cœpit Hilini effi-

35.
Perturbatio
Olomucii orta,
ejusque exitus.

36.
Obitus & elo-
gium P. Ferdi-
nandi Alberi.

37.
Obitus & elo-
gium P. Joannis
Hilin.

38.
Obitus & elo-
gium P. Petri
Uragoviti.

effigies ære incisa, ac certatim empta, per totam latè Germaniam volitavit. Pari luctu Zagrabienfes civem extulerunt suum P. Petrum Uragovitium, de quo hæc memoriæ sunt prodita. Adhuc tiro cum spatia retur in agro solus, ab homine amenti ferro furiosè impetitus, confossusque est tam alto vulnere, ut ex eo proximè moriturus putaretur. Dum se ad exitum comparat, vidit clara luce adstantes Christum, & sanctissimam ejus Matrem. Latus jucundissimo aspectu, tendebat manus Uragovitius, rogabatque hinc divinum Servatorem, inde patronam, ac parentem suam amantissimam, ut se jam tum haberent sibi comitem, & cœlestem in patriam ducerent. Responsum est, placere ut adhuc viveret, & præmium tam opimum longo promereretur labore. Reipsa convaluit præter omnium opinionem, & spem. Reliquos autem vitæ annos triginta, per Transilvaniam, Hungariam, Croatiamque, animarum saluti totos impendit, donec, morbo ex laboribus contracto, finem actuosa vitæ invenit eo profusus in loco, ubi ante annos circiter quinquaginta primam lucem hauserat. Suprema funeris Antistes, Canonici, Patres Franciscani, & ingens frequentia civium celebravere.

39.
RES POLONIÆ.
Instituitur Ba-
rense collegium.

In Polonia duas, qui vertebat, annus peperit Societati domos, Barensem, & Premisliensem. Podolia munitum oppidum est Barum, non procul Cameneco. Huc initio anni cum venisset Stanislaus Zolkevichius regni Cancellarius, & summus copiarum ductor, Regi significandum curavit, perutilem fore Bari mansionem Societatis, utque opus à se meditatam perficeret, rogavit. Annuit prolixè Rex piissimus, & alendo in perpetuum nostrorum pari vectigal certum attribuit. Tum Zolkevichius duos Barum vocavit Patres, rebusque omnibus ad ipsorum munia necessariis instruxit. Barensem stationem confirmavit postea, & beneficiis auxit Stanislaus Koniecpolkius Castellanus Cracoviensis. Sed viginti post annis, cum perduelles Cofaci omnia ferro & igne delerent, ea statio, quamvis esset jam ad collegii dignitatem erecta, concidit, & ad statum simplicis missionis redacta fuit. Quietiore est experta fortunam sedes Premisliensis. Civitas est Premisla parvæ Russia, quam nigram vocant, intra Volhiniam, & Podoliam, haud procul Leopoli. Ibi ante annos septem constituta fuerat paucorum capitum statio, cura & favore Stanislai Siecinski Episcopi Premisliensis, & Hieremij Krafiski Ecclesiæ Cathedralis Præpositi. Nunc annuente Societatis Præposito Generali, & adjuvante clarissimorum civium liberalitate, nomen & jus collegii adepta est.

40.
Residentia
Premisliensis ad
collegii statum
traducitur.

41.
Supplicationes
à nostris institu-
tae contra Turcas
Cracoviæ.

De rebus ad salutem animarum in Polonia gestis, multa sunt in litteris hujus temporis. Nos aliqua carptim attingemus. Aderat prope regni fines magnus Turcarum exercitus, obtentu quidem puniendi Cofacos, qui anno superiore proxima Tartarorum prædabundi incurfaverant, re tamen vera, ut plerique non temere suspicabantur, infesta arma illaturus in Poloniam. Ad averendum periculum, Socii Cracovienses instituerunt publici supplicii genus, quod cum totos duos menses civitas usurpasset, piè creditum est regno saluti fuisse. Eo quidem certè exacto spatio, Turca, quamvis numero & armis præfidens, non ausus cum regio exercitu confligere, abscessit innoxius. Lutherani hoc tempore annum agebant sæcularem, miserantque sectæ principes & magistri ex Academia Vittembergensi in Poloniam litteras encyclicas, quibus gregales suos excitabant ad celebrandam ludis & supplicationibus lætissimam, ut aiebant, instauratæ religionis memoriam. Hæ tamen litteræ prohibere non potuerunt, ne nostrorum labore & industria, Lutherani centum & triginta ad Ecclesiæ sinum redirent eodem anno Pofnania, in toto autem regno septem supra trecentos. Cameneci interim, magna urbis parte, ut anno præterito narrabamus, flammis absumpta, confertim habitabant oppidani in paucis quæ reliquæ fuerant domibus, nullo atatum sexuumque discrimine, unde noxiæ fomenta libidinis, quotidiana flagitia, ac fere communia. Ea res nostrorum vigilantiam excitavit. Alia incassum experti, Præfectum urbis admonuerunt ut, ad excindendam pestem reipublicæ perniciosissimam, gladium publicæ potestatis exereret, & necessariam malo

42.
Hæretici ad Ec-
clesiam redacti
Pofnania, atque
alibi.

43.
Cameneci libi-
dinum incita-
menta sublata.

pro-

providentiam adhiberet. A collegio Camenecensi duæ pendebant stationes, altera Vinnicæ in Ukraina, altera hoc ipso anno, ut supra demonstravimus, collocata Bari in Podolia. Utraque fruges non pigendas nostris operariis reddebat. Ukrainam P. Joannes Turowskius ad Mutium scribens, Poloniae Indias appellabat: adeo ferax erat laborum, & animarum. Regio est ingentis spatii. Excurrit in longum, a Nitro Valachia flumine usque ferè ad ostia Boristhenis, per trecenta circiter passuum millia, lata dimidio minus. Qua vergit in orientem solem, accolunt Tartari, gens religione ac moribus barbara, nunquam pacata, & crebris incursionibus infesta. Partem nigræ Russiae propiorem tenent Rutheni, Græcorum schismati consentientes. His permixti habitant Polonorum non pauci, qui ante hoc de quo scribimus tempus, vix à schismaticis differabant: propriis enim destituti Sacerdotibus, rudes, inculti, religionem in postremis habebant. In hunc agrum, erroribus & vitiis miserè silvescentem, procurrere cœperant ante sex annos Patres Vinnicenses, totam obeuntes oppidatim, & per usitata missionum officia excolentes regionem, dubites utrum majori suo incommodo, an fructu indigenarum. Multi sane Ruthenorum censebantur jam à schismate retracti. Polonorum plerique aptè eruditi, & sacris expiati, mores in melius verterant, & dignam nomine Christiano vitam agitant. Simili modo Socii Barenfes utilem navabant operam, tum apud milites regii exercitus, qui ibi in stativis erat, tum apud indigenas. Usitate vulgo erant circa Barum superstitiosæ quædam morborum curationes: alia ejusdem generis fortilegia passim, & citra religionem adhibebantur. Labem hanc Patres brevi tempore sustulerunt. Progressi inde sunt ad Cosaccos, feroces natura populos, & militia nomine publicum quasi latrocinium exercentes. Hos ab institutis suis abducere difficillimum erat. Gens enim multitudine præpotens, armis assueta, longoque usu & impunitate prædandi audaciam adepta, leges omnes magistratusque contemnebat. Tamen ubi nostros audire cœperunt, religione ac metu Numinis mansueti facti sunt bene multi, & melioribus exinde artibus vitam tolerare instituerunt.

Par in Lithuania labor, laboris par utilitas. Otingenti & quadraginta, partim ex variis hæreticorum sectis, partim è Græcorum schismate intra hunc annum Catholicis adjuncti numerantur. Ex collegio Nivisicensi Patres per totam usquequaque provinciam missi, præter alia multis in locis præclare gesta, Novogrodecii auctores nobilitati fuerunt, ut Ariani dogmatis magistros assertoresque pellerent, & ejus sectæ reliquias penitus abolerent. E' Rigeni duo in Curlandiam sunt ducti ab Episcopo Culmensi, quem Rex Sigismundus principem constituerat legationis ad reparandam in ea provincia rem Catholicam missæ. His autem adjutoribus, & ministris, Episcopus divinam in Curlandia liturgiam, & cætera religiosi ritus officia restituit, calendarium ad normam Gregorianæ correctionis emendavit, frementes Lutheranorum Doctores irritis, & ad silentium compulit. Legatus eodem tempore fuerat à Sigismundo Rege Adamus Kossbuskius in eam Prussia partem, quæ Polonia beneficiaria cum sit, Brandeburgico paret. Ire noluit vir clarissimus, nisi legationis comitem & adiutorem haberet unum de Societate, quem sumpsit è collegio Lomzensi. Quatuor amplius menses eum apud se detinuit Regiomontii, in ipsa sede provinciæ; eidemque postea referebat acceptum, quod Catholicis jus utendi suis ritibus asseruisset, & in eorum æde palam Romana sacra instaurasset. Orfensem agrum infestum habebant hoc anno Moschi, quæ res degentibus in ea statione Patribus impedimento erat, ne extra urbem pedem efferrent. Non tamen defuit intra urbem charitatis exercendæ materies. Custodiebantur in vinculis Moscorum militum plurimi diversis velitationibus capti, & gravi inedia torquebantur. Moti eorum calamitate Patres, obire domos civium, stipem à singulis corrogare, panem quotidie, & quidquid rei cibariæ poterant, suis humeris ad vinctos comportare cœperunt. Misericordiam ipsi mirati sunt hostes, quantumvis barbari. Itaque vicissim Moscorum ductor clementer habere cœpit, quos habebat apud se capti-

To. I.

N

vos

44.
Labores & res
gestæ Sociorum
in Vinnicensi
statione commo-
rantium.

45.
Primæ fruges
stationis Baren-
fis.

46.
RES PROVINCIÆ
LITHUANÆ.
Hæretici ad fi-
dem revocati.

47.
Acta nostrorum
in Curlandia,
& in Prussia.

48.
Patres collegii
Orfensis Mo-
schis captivis
misericordiam
impendant.

49.
Memorable
exemplum pecuniae in pauperes dividendae, incerto domino.

50.
RES FLANDRO-BELGICÆ.
Status Societatis in Batavia, & foederatis provinciis.

51.
Fructus ubique collecti uique ad hunc annum.

52.
Charitatis exemplum insignite a muliere editum erga unum ex nostris.

53.
Res utiliter gestae in aliis locis.

vos regii exercitus, eosque mox Patribus sine pretio remisit. Præter hæc, multa ubique muliercule ab infami quæstu revocata fuerunt: multis negotiatoribus persuasum, ut rem iniquis pactionibus, vel alia fraude partam suis dominis restituerent. In quo genere memorabile est quod uni nostrorum contigit Pultoviae. Acceperat à pœnitente certum pecuniae numerum, vel erogandum in pauperes, vel in aliquem pium usum, siquidem incerti erat domini, pro libito impendendum. Pium nescio quod opus meditabatur Pater, eaque propter pecuniam servabat in arcula repositam. Ecce autem nocte quadam, dum altè dormiebat, excutitur repente, & sonum audit nummorum in terram decidentium. Miratus quid rei esset, proflit lecto, lumen infert. Tota in pavimentum effusa erat pecunia, arcula profus obserata. Portenti novitate percussus, nihilque certi habens quod apud se statueret, nummos reponit denuo. Iterum nocte proxima effusi sunt, & eodem modo. Tum ille reputans, forte minus gratum Deo esse quem meditabatur pecuniae usum quantumvis pium, aut certe gratius fore, si sublevandis egenis impenderetur, eodem die totam in pauperes erogavit. Atque hæc de Lithuania.

Provincia Flandrobeltica, ad quam modo transgredimur, Bataviam complectitur, & cæteras Ordinum foederatorum provincias. Anni fluxerant admodum triginta, ex quo Societatis homines hanc regionem ingressi, totos impendebant sese animarum saluti. Baptismata infantium, rudiorum institutio, expiandæ multorum conscientiae, danda consulentibus responsa, nocturnæ vigiliæ, diurni & assidui metus, paucos Sacerdotes ita distringebant, ut iis respirare non liceret. Submittebantur interdum duo, tresve, qui oppressos onere immodico adjutarent; sed ipsos quoque brevi pondus immensum obruebat. Hoc demum anno impetratum est à Præposito Generali, ut certis urbibus assignarentur delecti Patres, qui laborantibus Catholicis, & open enixe flagrantibus præsto essent, minore suo labore, sed ad diurnitatem certiore. Stationes locis undeviginti fuerunt constitutæ, nimirum Amstelodami, Ultrajecti, Harlemi, Lugduni Batavorum, Delphis, Roterodami, Gouda, Hornæ, Hagæ-comitis, Halcmariæ, Leowardiæ, Harlingi, Groningæ, Bolswardiæ, Swollæ, Zutphanæ, Neomagi, Vianæ, & Mildeburgi. Quid deinde in istis singillatim stationibus gestum, toleratum, profectum fuerit, dicendum erit annis sequentibus. Nunc quæ alicubi hoc præterito tempore acta sunt, cursim indicabimus. Amstelodami paucos ante annos vix censi poterant centum, qui in Paschilibus sacra perciperent. Hoc anno ad duo millia sunt numerati, præter trecenta conjugum paria legitimo, & Catholico ritu juncta. Roterodami, ante nostrorum adventum, erant familiæ Catholicorum haud plures quatuor. Nunc censu facto, inventæ amplius trecentæ, quibus intra spatium ejusdem anni centum, & septuaginta capita accessere. Hornæ, quæ caput est Bataviæ septentrionalis, Operarius Societatis ex Anabaptistarum synagoga adultos fere centum & octoginta baptismo tinxerat, & ex aliis hæreticorum sectis ultra sexcentos veræ fidei restituerat: cum ex labore immodico morbum contraxit gravem, & periculosum, ex quo cum putaretur proxime moriturus, reviviscens civitatis pietas, & religio, suam in unius interitu extimescebat perniciem. Sed ne moreretur effecit admiranda mulieris charitas, dignam ejus vitam putantis, quam redimeret sua. Audito nostri Sacerdotis periculo, obtestari Deum matrona fortis institit, ut in se morbum viri populo tam necessari, mortemque, si esset opus, transferret, eum vero servaret. Audivit orantem Deus, & ratum ejus votum habuit. Eodem quo Sacerdos morbo corripitur repente mulier. Paribus deinde momentis febris in illo sensum remittere, in hac intendi: donec eodem die alter lecto vivus valensque evasit, altera ad sepulchrum elata est. Alcmariam, sive Almeriam, cum primum unus e nostris accessit, vix inveniebat viginti oppidanos, qui sacris concionibus interesse vellent. Postea quingentos, septingentosque latus vidit. Eadem initio paucitas auditorum Leowardiæ, eadem deinde ubertas & copia. Ultrajectum, quod etiam Trajectum ad Rhenum vocant, quo reli-

religiosius per novem fere sæcula post magnum Willebrordum, primum Frisiam Apostolum, Romana sacra coluerat, eo luctuosius postremis temporibus ab Ecclesia defecerat. Urbem sectarum omnium colluvione conspurcatam ita excoluerunt nostri, ut jam apud opulentiores civium invenirentur sacella plus quam viginti, in quæ Catholici coeuntes, coetus celebrabant suos, & sacris intererant. Gouda, præter Arminium cui se addixerat, sequebatur etiam Memnonem novæ fabricatorem sectæ, quæ in triginta ramos divisa, in plures quotidie pullulabat. Multi Goudensium nihilominus ad Ecclesiæ signa se recipiebant identidem. Multi hoc ipso anno apud nostrum Sacerdotem totius antea vitæ labes sacramento expiarunt, qui ab annis viginti aut quinquaginta sacrum poenitentiae tribunal nunquam adierant. Ibidem emendata sunt matrimonia plurima, quæ nullo sacro nexu hæresis colligarat. Sed ne eadem frequentius iterando satietatem legentibus afferam, reliqua ejusdem generis prætermitto.

Non tamen silentio tegam labores apostolicos P. Joannis Riserii, quem in litteris hujus temporis præcipuè laudatum invenio. Ex uno capi de reliquis conjectura poterit in eodem agro defudantibus. Egressus Amstelodamo Riserius cum venisset in vicinam Goytlandiam, sex ibi lustravit pagos, agricolas vero, quorum pars multo maximam avitam religionem colebant, sacris expiavit. Progressus inde est in proximam regionem, partim Geldricæ, partim Ultrajectinæ ditionis, eandemque impendit operam Catholicis fere viginti mille, qui pastore Catholico destituti, sacra, & doctrinam flagitabant. Arnhemii in Geldria, cœnobium adhuc erat sacrarum Virginum, quæ inter medias hæresum fordes, non modo veterem religionem, sed & virginitatem, omnemque monasticæ disciplinæ formam inviolatè servabant, licet ad violanda incestis nuptiis sacrosancta vota, præmiis propositis, & opimis oblati conditionibus perpetuo sollicitarentur, & nuper Senatus consulto exuta bonis fuissent, modica tantum pensione ad sustentationem vitæ relicta. Eas Riserius divino verbo, cujus erant appetentissimæ, pavit, sacramentis refecit, ad constantiam denique egregiè confirmatas reliquit. Transiit postea Doesburgum, nobile oppidum, olim, ut incolæ gloriantur, à Druso Cæsare conditum. Catholici Doesburgenses, quæ major pars civitatis, venientem incredibili gaudio excepere, ejusque præsentia, & ministerio plurimum recreati, pari mox sensu mœroris abeuntem dimiserunt. Doesburgo egressum excepit Velavia, terræ ingens tractus inter Isalam, & Rhenum. Erat ea regio frequens incolis natura ipsa durioribus, ac subagrestibus, quos calamitas temporum incultiores adhuc, & horridiores fecerat. Sed hic habitus animorum non prohibuit, quominus ad nostrum Sacerdotem confluerent magno numero, eique se erudiendos, & expiandos præberent. Hæc circuitione una præstitit Riserius, quæ quidem haud levia videri debeant, etiamsi sola peni habeantur iterum, & Apostolici ministerii incommoda.

Quid quod accedebant proditorum insidiæ, & iniquitas Magistratum, semperque oculis observabantur immania pericula, lictores, multæ, vincula, opprobria, metus egestatis & necis? Catholicis enim Sacerdotibus tota Foederatorum ditione interdictum erat. In Frisia autem proscripti nominatim fuerant homines Societatis ob eam causam (decreti verba ipsa refero), *quod quoscunque alloquerentur, ad Papisimum traherent*. Excubabant ubique lictores, plena delatorum omnia. Longum esset jam dicere, quoties nostri fuga, quoties latebris, quoties ope Numinis singulari, manus satellitum evaserint. Fuit, ut de aliis sileam, Harlingi in Frisia insignis fraudum artifex Cornelius Wochem, quem ab immani odio, quo Catholicos insectabatur, Papiatarum diabolium vulgo appellabant. Homo ex omni concretus scelere, & sæpe judicio publico infamia notatus, operam suam addixerat magistratibus ad conquirendos nostros, & uni præsertim Harlingi tutò degenti insidiabatur. Captata ergo hora, quæ sciebat plures apud eum Catholicos rei sacræ causa convenisse, perrumpit ex improvviso in ædes cum satellitum globo. Sed dum ingenti molimine domus januam prius, & objectas deinde fores cubiculorum perfringit, evaserat jam per

To. I.

N 2

po-

54.
Labores & res
gestæ P. Joannis
Riserii.

55.
Sociorum peri-
cula in provin-
ciis Foederatis.

56.
Unus nostrorum
frustra conqui-
ritur Harlingi.

57.
Interceptæ
ejus litteræ ty-
pis vulgantur.

58.
Sed a magi-
stratibus suppri-
muntur, quia
Societati hono-
rificæ.

59.
Res GALLOBEL-
GICÆ.
Collegium
Insulense novo
censu constabi-
litur.

60.
Collegium
Atrebatense a
Monachis S. Veda-
stii perficitur.

61.
Erigitur Mon-
tense Semina-
rium, & Socie-
tati committi-
tur.

62.
Sæviente pesti-
lentiâ nostrî ta-
bidorum obsê-
quio se devo-
vent.

posticum Sacerdos, relicta altaris suppellectili, cujus subducendæ spatium non fuit. Hanc impij prædones foedè conspurcarunt. Totam mox diripientes & spoliantes domum, litteras interceperunt, quæ inter ipsum, & Societatis Præpositos a longo tempore commeaverant. Triumphavit, velut reperto thesauro, sce-leratus Wochemus, nihil dubitans, grande aliquod mysterium in iis chartis contineri, quod Societati conflaret invidiam. Idem sperantes alii malevoli, qui litteras indiligentius pervolutaverant, eas omnes unum in volumen collectas in lucem ediderunt. Erat inscriptus liber *Occulus Mercatus Jesuitarum*, cui titulo, & errori occasionem dederant, quæ subinde occurrebant vocabula ad mercaturam spectantia. Nam quia periculosum erat in ea temporum iniquitate de religionis negotiis apertè scribere, ea solebant nostri explicare per ambages, & plerumque à negotiatione allegoriam fumbant. Ut legi cœpit liber, arcanum nullo negotio intellectum est: simul apparuit, quanta sollicitudine Præsides Societatis animarum salutem, Dei cultum, pecuniarum abstinentiam, tolerantiam laborum, virtutesque cæteras Patribus commendarent; quantam hi vicissim obedientiam profiterentur erga suos moderatores, quanta inter se conjunctione viverent. Doluerunt Magistratus hæc in vulgus spargi; ac veriti ne inde honor accederet Societati, unde quæsitum illi fuerat odium ac dedecus, exempla libri, quæcunque apud Typographum exstabant, abstulerunt.

Per hæc novis beneficiis ornabatur Societas in Gallobelgica. Insulis ante aliquot annos civitas collegium nobis extruxerat: verumtamen non ea collegio assignaverat vectigalia, quæ alendo Sociorum justo numero essent satis. Quod tunc ob angustias ararii non potuerat, hoc anno præstitit: qua nova beneficentia retulit à Mutio Generali litteras, quibus collegiorum Fundatoribus Societas gratum ac memorem animum profiteri solet. Neque vero commiserunt Patres Insulenses, ut amantiſſimæ civitatis liberalitas male in se collocata videretur. Eodem anno ad quatuor, quæ jam vigeant, sodalitiâ, addidere alia duo præcipuæ utilitatis. Alteri adscripti sunt adolescentes illiterati, & artium liberalium expertes. Alterum ex negotiatoribus Flandris constatum est, quorum in ea urbe, propter commerciorum opportunitatem, magnus semper est numerus; atque hujus commissa est cura Sacerdoti Flandricè scienti, qui sodales materna lingua institueret. Quod habebamus Atrebatî domicilium, adeo angustum, & à re familiari imparatum erat, ut collegii potius initium dici posset, quam collegium numeris omnibus absolutum. Absolverunt illud Monachi S. Vedasti, ac sane liberaliter. Structo enim à fundamentis templo magnifico, & apta domo, hanc demum etiam annuo censu dotaverunt. Quibus proinde viris religiosissimis, & de re nostra optimè meritis Mutius, ut æquum erat, nomen & jura Fundatorum attribuit. Præclara erant in collegium Montense merita illustri matronæ Antoniæ Godiniæ. Eadem nunc Montibus seminarium pro adolescentibus condidit, amplisque ædificiis partim coemptis, partim de integro constructis, dotem consentaneam adjecit. Tamen oravit frustra Societatem, ut seminarii sic instructi curam susciperet. Id modo concessum est à Præposito Generali, ut Rector collegii Montensis Sacerdotem è populo unum eligeret, qui munere isto fungeretur. Sed progressu temporis, cum per ejus incuriam disciplina seminarii & fama senesceret, permisit ad extremum Generalis, ut nostri per sese illud administrarent, suumque seminario Rectorem alteri non obnoxium imposuit.

Sæviebat interim pestilens in provincia lues, multosque mortalium diræ morbi vis prosternebat. Ut prima proruperunt mali semina, exarlit nostrorum impavida charitas, multi se curandis infectis magno animo devoverunt. Duaci, Namurci, Insulis, datæ illis sunt propriæ ac separatæ ædes, ne reliquos domesticos contagione inficerent. Ac Namurci quidem munus periculosum solis fere incubuit hominibus Societatis: Cæteri enim Sacerdotes, conterriti duorum Parochorum morte, abdiderant sese, nec audebant in ejusdem casus aleam se conjicere. E' nostris pestilentia afflati plures, solus Namurci extinctus Erater

Pe-

Petrus de Thier rei domesticae adjutor. Eodem lethi genere occubuit Duaci Frater Michael Poix. Alii morbo tentati, Deo bene juvante consanuerunt. Infulis ex Fratribus domestica ministeria tractantibus consumpti tres, Petrus Perù, Tuffanus Cabart, & Joannes Fendenier. Præter hos, duo Sacerdotes pestem contraxerant: sed quasi in eorum capitibus publica periclitaretur salus, tot pro illis fusa preces, tot privatim ac publicè adhibita piacula, ut demum revaluerint. Conspiciti itaque sunt haud multo post, resumptis viribus, iterum suspectas obire domos, & salutis eterna præsidia languentibus circumferre.

Audomari initia ejusdem anni funestavit obitus P. Ægidii Scondonchi, quem inter illustriores provinciae Gallobelgica viros meritò Societas numerat. Natus erat Brugis ante annos circiter sexaginta, ferebaturque a parentibus diu sterili usis conjugio precibus impetratus. Id ille prædicari de se audiens, adhuc puer debere se Deo totum statuit, coepitque in illa ætatula pietatem eximie colere, cui ut vacaret unice, Societatem adolescens iniiit. Post varia inter nos munera rectè & laudabiliter gesta, cum Philippus II. Hispaniarum Rex seminarium Anglis adolescentibus Audomari constituisset, ei regendo formandoque primus omnium Scondonchus præfectus est. Familiam vero juvenum, amplius centum ita composuit, iis gubernavit legibus & institutis, ea disciplina forma continuit, ut seminario Audomarense nihil per illud tempus esset pietate & litteris excultius, quod egressi postmodum ex illa religionis velut officina viri ornatissimi, rei que publicæ utilissimi, comprobarunt. Cunctis spectabatur Scondonchus dignis religioso Moderatore virtutibus, sed prudentia in primis: Et quod mirere, cum esset legum exactor rigidus, effecerat tamen comitate, & modo agendi ingenuo ac liberali, ut ab illa juventute tanquam communis parens diligeretur. Compertum id maximè est III. Cal. Februarias, in quem diem incidit ejus obitus. Nulla enim est moeroris significatio, quam ob ereptum sibi Rectorem suum adolescentes optimi non ediderint. Idem annus eidem Audomarense collegio virum ademit de Anglicana missione præclare meritum, P. Thomam Stannæum. Ex dicecesi Sariburienfi, in qua natus erat, Romam venerat adolescens conservandæ studio religionis, & inter Anglicani collegii alumnos cooptatus fuerat. Transit inde in Societatem, ut peracto tirocinio natale solum repeteret, ac suis popularibus labores, vitam, mortem, si esset opus, ac sanguinem devoveret. Haud secus atque promiserat fecit. Multos & rectè vivere, & religiose sentire, & fortiter mori docuit. Urebat regio satellites hominis virtus, & felix ad hæresim ubique debellandam industria. Sed quanto illi ad investigandum sagaciores, tanto ipse ad se occultandum solertior. Latebræ tamen difficiles in parietum angustis, in subterraneis cavis, in palustri, & uliginoso solo, ut facile exploratores fallebant, sic ejus vitam agrè tuebantur, & eandem miserè cruciabant. Demum comprehensus, & in carcerem compactus, brevi ex incommodis complures morbos, & mortes quotidianas collegit, calculum, stranguriam, herniam, nervorum distensionem, & rigorem. Jacebat in tetro ergastulo Stannæus cadaveri & trunco, quam vivo corpori similior. Ex hoc tamen trunco laudem clementiæ quaesiverunt iniqui Judices, vitamque magna, & meliori ex parte raptam, condonata perduelli, & immerenti prædicarunt. Fortasse puduit in publicam patibuli lucem proferre hominem membris fere omnibus captum, & hoc specimine crudelitatis famam clementiæ, quam captabant, deterere. Igitur clam dimissus, concessit Audomarum præclarus exul, ubi paralyti constrictus, diem extremum clausit IV. Cal. Junias, annos natus sexaginta duos.

Pari nostrorum luctu elatus est Treviris in provincia Rhenana P. Christophorus Browerus, patria Arnhemensis in Geldria, vir sacra profanaque eruditione insignis, eaque de causa, tum ab aliis eruditis viris, tum ab ipso præsertim laudatus Cardinali Baronio. * Asperrimos calculi, podagræ, atque arthritidis dolores pertulit fortiter ad annos plures. In extremo morbo rogatus à collegii Rectore, numquid ipsi religionem injiceret, aut molestiam afferret?

63.
Socii in eo
charitatis officio
extincti, alii
mirabiliter per-
sanati.

64.
Obitus & elo-
gium P. Ægidii
Scondonchi.

65.
Mors & Elo-
gium P. Thomæ
Stannæi.

66.
RES PROVINCIAE
RHENANÆ.
Mors & elo-
gium P. Chri-
stophori Bro-
verii.
* Tom. x. oct.
edit. ad an. Chr.
968. n. 6.

67.
Pretiosa mors
& elogium Fr.
Joannis Corne-
lii.

ret? pio animi ardore succensus: O *sancta*, inquit, *Providentia!* *Quam bonum, & quam jucundum est in Societate mori!* Sic ille scilicet, quia semper vitam Societatis filio dignam vixerat. Obiit III. Idus Junii, anno ætatis suæ quinquagesimo septimo. Sed quam lata accidat hominibus verè religiosis dies extrema, luculentius exemplo suo docuit Fr. Joannes Cornelius, Coloniae mortuus VI. Cal. Junii. Etenim postquam B. P. Ignatium piè admodum invocaverat, morientis ultima vox fuit *Alleluja*, in eaque spiritum reddidit. Ut audit de Cornelii obitu Colonienfis Septemvir Ferdinandus à Bavaria, ad familiares conversus: *Equidem*, inquit, *nisi iste æterna potitus est gloria, non video quis alius potiturus sit.* Tantum Princeps conceperat opinionem de virtute illius. Natus erat Cornelius honesto genere Amstelodami. A prima juventute militiam secutus, Batavis per annos aliquot terra marique stipendia fecerat. At incensus demum melioris militiæ desiderio, mereri inter nos maluit in infimo domestici adjutoris gradu. Nulla est hujus ordinis propria virtus, quæ non in illo emineret, mansuetudo præsertim, charitas, & obedientia. Si quid temporis à sui muneris occupationibus vacui nancisceretur, id vel lectioni piæ, vel precibus totum dabat. Officio janitoris in collegio Colonienfi perfunctus est annos amplius viginti, nec quamquam senio & morbis fatiscens, adduci unquam potuit, ut missionem à laborioso & permolesto munere peteret, aut illud exerceret remissius. Creditur præcivisse divinitus mortis suæ diem: cujus rei indicio fuit, quod extremo vitæ tempore nullum inferebat, nisi de cœlesti gloria, sermonem, ut omnino in proxima spe ejus consequendæ videretur.

68.
Hæretici ad Ec-
clesiam reducti.
Tres Societatis
tirones ob char-
ritatis exem-
plum valde lau-
dati.

Quod pertinet ad res in provincia Rhenana gestas, numerati hoc anno mille & quinquaginta ex partibus hæreticorum ad Ecclesiam traducti. Paderbornæ vero tres Societatis tirones exemplum edidere, quod in commendationem & decus ordinis universi cessit. Missi fuerant animi relaxandi causâ in suburbanam silvam. Progressi paululum, hominem vident faucium, jacentemque inter dumeta, perfosso tam graviter latere, ut ex hiatu intestina disfluere. Rogabat miser opem querulo ejulatu. Opem pii juvenes ut animæ simul corporique ferrent, regressi in urbem propere, Sacerdotem & Chirurgum adducunt, illum ad expiandam hominis conscientiam, hunc ad curanda vulnera. Eundem mox feretro impositum, suis ipsi brachiis in urbem deportant, assisa ad pium spectaculum omnis generis multitudine, in qua nec Heterodoxi continere se potuerunt, quin piæ & generose factum admirarentur majorem in modum, laudarentque Societatem, quæ suos sic educaret novitios, & tali virtute informaret. Sed quamquam his, & similibus sæpe laudibus ornaretur Societas ab hæreticis, eorum tamen odia non mitescebant. Nec vero novum est odisse, quos non possis contemnere. Fridericus Elector Comes Palatinus Rheni adeo nostros homines aversabatur, ut eorum neminem pateretur intra fines ditionis suæ consistere. Casu accidit ut e collegio Wormatiensi egrederentur duo Patres, nescio quo profecturi. Dum per Vangiones transeunt, capti sunt ab immiti armatorum manipulo, abductique in urbem proximam onusti vinculis, quasi fuissent in aliquo scelere deprehensi. Rogantibus cujus delicti pœnas luere cogerentur, respondit Prætor, deliberatum esse Principi Jesuitas omnes habere ut hostes, eosque arcere finibus imperii sui, propterea quod verborum lanocinio, quali dulci veneno, inficerent populos, & Papismi erroribus enecarent. Quæ locutus, utrumque contrusit in separatos carceres, inedia ac siti maceravit ad multos dies, demum educatos facessere ætutum jussit.

69.
Decretum Sen-
atus Worma-
tiensis contra So-
cietatem. No-
strorum con-
stantia contra
illud.

Minus quidem acriter, sed non minore malevolentia nobiscum egit Senatus Wormatiensis hæreticus. Videns discedere quotidie a signis aliquot suæ sectæ, & crebris transitionibus augeri partes Catholicorum dolens, vetuit degentibus Wormatiæ Patribus, ne quem deinceps haberent cum civibus de religione sermonem. Non acquievit tamen iniquo edicto Rector collegii P. Ludovicus Franckstein. Appellavit Imperii leges, quibus Catholicæ religionis libertas asserbatur: negavit aperte se, suove in ea re subesse Senatui: se demum uti velle opti-

optimo suo jure sine cujusquam injuria pronunciavit. Quod ne magnificè magis quam verè dixisse videretur, injunxit Patribus, uti suis fungi liberè ministeriis pergerent. Jussa fecerunt illi magno animo, ac præter alia, recurrentibus Paschalibus, supplicationem solemnem instituerunt, quæ tanta omnium ætatum, atque ordinum frequentia est celebrata, ut adversarii, in quorum oculis res acta fuit, moerorem dissimulare non potuerint. Longè alio erat erga nos animo Senatus Colonienfis Catholicus. Documento sit quod subjicio. Postebant nostri, ad extruendum Colonix templum, ædes nescio quas collegio vicinas, ubi fuerant hætenus balnea civitatis. Dum res in Senatu deliberatur, non nemo, ut interverteret concessionis decretum, repulsam obtendebat alterius familiæ religiosæ idem olim petentibus datam. Sed exceperè alii contra, nemini omnium iniquum videri debere, Senatum Coloniensem dare nunc Societati, quod aliis noluisse. Non eadem esse omnium ordinum in rem publicam merita. Colonix quidem quod inter tot undique grassantes hæreses religio incolumis permaneret, Societatis præcipuè curis, laboribus, & industriæ acceptum referri oportere. Sic illi pro egregia sua in nostrum ordinem voluntate. Ac secundum hæc Senatus, non modò ædes quas dixi tradidit Societati, verum etiam decreto, quod ea de re factum est, testimonium honorificentissimum dedit officiorum, quæ ad illam usque diem Societas Colonienfis præstitisset.

Progredimur ad res Gallicas, & narrationis initium à Lugdunensi provincia ducimus. Diensi missioni additur hoc anno Vivariensis, liberalitate Ducis Vantadorii. Quippe Dynastes pius, ut purgaret ab hæreseos labe terras suæ ditionis, id omnino sibi faciendum censuit, ut in eas Societatem induceret. Lugduni nondum absolutum erat collegii ædificium, quod nobis civitas dignum se, & opulenta sua excitabat: cum cives, haudquaquam territi sumptuum magnitudine, paræ magnificentix templum moliri coeperunt. Id illis consilii primus injecit urbis Antistes Dionysius de Marquemontio. Nam cum venisset Calendis Januarii in veterem collegii ædem, & vix perrumpere conferissimam turbam intra illius angustias potuisset, occasione inde sumpta, cives cohortari vehementer coepit, ut laxiorem extruerent Societati basilicam: quæ cum res initio magna omnium approbatione fuisset excepta, Carolus de Neufuille dominus de Alincurtio, provinciæ Gubernator, se quidem promisit, si manus operi admoverentur, minime dubitaturum ædificare suis impensis apud eum novi templi. Alii suam se collaturos symbolam sponponderunt. Re igitur in communi deliberata, decernitur augusta molis Basilica, augustissimæ Trinitati sacrandæ. Designatur area, operi inchoando deligitur ea prorsus dies, in quam celebritas sanctissimæ Triadis incidebat. Ea verò die cum accessissent ad locum, hinc Hierarchy cum Sacerdotum collegio, inde Gubernator cum flore nobilitatis, ille primum lapidem solemnè ritu dedicavit, hic eundem in fundamenta dejecit. Quo immortalè suo beneficio Lugdunenses, si quid unquam Societas mereri de illis studuit, cumulatè rependerunt.

Aliter affecti erga nos erant per illud tempus Aquenses, nondum penitus obliterata apud eos veteri suspitione, qua nostri homines plus nimio Hispanis addicere ferebantur. Fuit è Senatoribus qui crimen Societati quærens, litteras finxit à Rectore collegii Barchinonensis missas ad P. Grangerium, qui forte ex collegio Avenionensi venerat Aquas sextias ad concionandum. Rogabatur iis litteris Grangerius de rebus Gallicis, tunc civili tumultu turbidis, accurate perscribere. Respondit bona fide, nihilque adversi suspicans Grangerius, sibi concionum laboribus occupato, nec satis notas esse res Gallicas, nec otium ad eas curiosius investigandas suppetere: aliquos audiri civilium armorum strepitus, ex quo Princeps Condæus fuisset in custodiam traditus: spem tamen esse, omnia brevi, ac feliciter compositum iri Regis & Reginæ consiliis: Caterum sibi, quamdiu Aquas sextias commoraretur, minus gratas accidere ejus litteras: esse enim Aquenses nostro nomini subinfectos, quod plerique suspicarentur, totam Societatem stare ab Hispanis: se propediem reversurum Avenionem. Hæc ille, quæ

71.
Judicium Senatus Colonienfis Societati perhonorificum.

72.
RES PROVINCIÆ LUGDUNENSIS. Instituitur missio Vivariensis. Novum Lugduni templum extruitur.

73.
Calumnia contra P. Grangerium conficta. Aquis sextiis.

74.
Diluitur non
sine probro ac
dedecore aucto-
ris.

75.
P. Joannes
Georgius metu
populi excedere
cogitur Monte-
pessulo.

76.
Oppidanorum
insignis contu-
macia contra
ejus loci Epi-
scopum.

77.
Mors & elo-
gium P. Guliel-
mi Crittonii.

quæ dum Barchinonem ferri arbitratur, audit per urbem circumferri suas litte-
ras, legi passim, & à multis in sequiorem partem intelligi, quasi exstaret in
illis indicium perfidiæ. Sensit Grangerius insidias ab aliquo veteratore sibi stru-
ctas, nec de ipso doli fabricatore difficulter cognovit. Fiducia conscientia ere-
ctus, adit Senatum, publicam implorat fidem. Atrox enimvero Senatoribus
videbatur, potuisse hominem sui ordinis tam indignis artibus in famam & cap-
ut innocentis grassari. Multa in uno continebantur scelera gravi animadver-
sione digna: suppositio, interceptio, publicatio litterarum, dolus, calumnia.
Res erat testatissima, scriptura ipsa falsarum litterarum accusante suum aucto-
rem. Cum tamen homo vecors in judicium vocatus omnia incredibili contu-
macia pernegaret, satis visum Senatoribus admonere acriter collegam suum,
ne quid tam alienum a sua dignitate inceptaret in posterum. Simul Grangerio
innocentia testimonium publicis litteris datur. Utque ex uno documento con-
staret, vel falsa, vel certe suspecta habenda esse quæcunque tunc, & voce,
& scripto ad opprimendam Societatem vulgabatur in eodem genere, placuit
hanc totam actionem publicis tabulis consignatam perpetuo servari in secretiori
Senatus tabulario. Quo demum fraus adeo non fuit Societati detrimentosa, ut
ejus in utilitatem potius, Deo protegente, verterit. Sic Aquis sextiis.

At quam odiosa sit nationi hæreticorum Societas, declaratum est Monte-
pessulo, quod oppidum erat hoc tempore ex parte maxima Calvino addictum.
Eo venerat accitu Episcopi P. Joannes Georgius, clari nominis concionator,
ut verni jejunii tempore conciones sacras haberet. Ejus adventu presentiaque
plebs adeo commoveri, fremere, tumultuari coepit, ut prope in apertam seditionem
prorumperet. Extimuit periculum Episcopus, non contempsit Dux Van-
tadorius provinciæ Gubernator. Ambo itaque Georgio, quid consilii caperet dubi-
tanti, auctores fuerunt, ut secederet paululum, & savienti turbini se subdu-
ceret, dum tempestas desedisset. Id futurum brevi spondebant: curæ enim sibi
fore, ut quiescerent interea concitati civium animi, nec esse dubitandum quin
intra paucos dies redire posset, obsistente nemine. Re ipsa cum cessisset loco
Antistes eum denuo arcessendum putaret. Placuit tamen adhibere industriam,
ac ne populari forte impetu mœnibus excluderetur, eundem ipse Præsul reve-
here secum statuit in eadem rheda. Hoc consilio extra urbem progressus ad
teli jactum circiter, assidere sibi ad latus Georgium jussit, cum eoque subibat
urbem, nihil hostile suspicans, debita sibi reverentiæ fiducia. At sua illum opi-
nio ludit. Ut auditum in urbe, redire cum Episcopo invisum Jesuitam, exar-
sit veteri odio populus. Rhedæ appropinquanti occursum magno agmine, &
occlusa portæ sunt. Rogabat Episcopum multitudo, seu verius jubebat proca-
citer, ut Jesuitam dimitteret, ut urbem solus intraret. Qui cum negaret se
ingressurum sine illo, perstaretque in sententia immotus, eum simul & Jesuitam
cum insigni injuria aditu prohibuerunt.

Duos interim dignos annalium memoria viros Lugdunensis provincia desi-
deravit, Gulielmum Crittonium, & Franciscum Caguinum, illum Sacerdotem,
hunc Fratrem rei domesticae adiutorem. Crittonius nobili loco natus in Scotia,
receptus in Societatem fuerat à P. Didaco Lainio, ante annos septem & quin-
quaginta. Cum esset prudentia, charitate, vigilantia, & omnibus imperandi
artibus egregie instructus, collegia Lugdunense, & Avenionense administravit.
Ex Gallia missus in Scotiam, rem ibi Catholicam augere bonis initiis coeperat,
persuaseratque jam Duci Lenoxio Jacobi Regis pueritiam moderanti, ut eum
catholice institueret. Sed prævalentibus Hæreticis, irrita fuerunt tam præclara
consilia. Cogitur Lenoxius fuga salutem quærere, quo summo, Crittonius
etiam regno ad tempus cessit. Iterum navigabat in Scotiam: at circa Ostendam
capitur à Piratis, & in Angliam devehitur. Triennium egit in carcere Londi-
nensi, donec solutus est ab Elisabetha vinculis, & abire compulsus. Nihilo tamen
minus tertio pervasit in Scotiam cum aliis quatuor de Societate, quorum opera,
& la-

& laboribus magna nobilium Scotorum pars Ecclesiæ restituti fuerunt. Multas hinc & longas peregrinationes pro salute suorum popularium suscepit Crittonius. E' Scotia in Hispaniam, inde Romam, Roma in Belgium, atque iterum Romam venit. Remissus demum in Galliam, Lugduni in senecta uberi diem clausit extremum, v. Idus Junii. Ejus maximè industria duo Scotis adolescentibus fuerunt seminaria instituta, Romæ unum, alterum in Belgio. Frater Franciscus Caguinus, cum rem familiarem, & bona omnia collegii Lugdunensis administraret, in tanta curarum multitudine, & varietate, sive domi esset, sive rure, sive intra septa collegii, sive in itineribus, nullam negligebat earum rerum, quæ ad cultum animi pertinent, nihil sibi præripi de quotidiano piarum exercitationum penso patiebatur. Hoc rerum cœlestium studio minimum trahebat ex terreno illo pulvere, quo, ut ait S. Leo, necesse est etiam religiosa corda sordescere. Qui cum eo vixerunt familiarissime, testabantur, vix leviorum ullam in ejus vita noxam sibi perspectam aliquando fuisse. Prius quam Societati se traderet, nulla re magis delectabatur, quam erudiendis doctrina Christiana pueris, solitus eorum greges in triviis compitisque convocare, & ad audiendas divinas institutiones munusculis allicere. Id cum præstare non posset in Societate, ex paternis bonis, quæ collegio Lugdunensi transcripsit, certum designavit ac perpetuum censum, parandis in usum catecheseos munusculis, quibus ætas puerilis capitur, & ad æmulationem accenditur. Erat Caguinus honestissimi generis, & latinis litteris haud leviter tinctus. Quare Moderatores potestatem illi fecerant ad Sacerdotalem ordinem ascendendi. Sed oblatum honorem vir modestissimus constantissimè repulit. Obiit Lugduni, uti vixerat religiosissimè, III. Id. Augusti.

Duobus, quos supra nominavi, æquum est ut alios duos adjungamus eximios viros Tolosanae provinciae ereptos, P. Joannem Pujolium senem emeritum, & tironem unius anni Franciscum Rivultium. Pujolius patria Ruthenensis, ut instare sibi horam extremam sensit, publicè professus est, magnum sibi solatium, & parem oppetendæ mortis fiduciam afferre, quod annis omnino quinque supra quadraginta, ex quo nomen dederat Societati, nullam neque loci, neque muneris mutationem à moderatoribus postulasset aliquando, aut injunctam respuisset. Ministrum egerat in collegio Aniciensi per annos continenter duodeviginti, ac toto eo tempore domesticae disciplinae exactor fuerat, non ille quidem importunus, sed tamen summè diligens, nemini autem severior quam sibi. Omnium, quæ ad corporis usum cultumque pertinent, deterrima seligebat. Reperta est post ejus obitum scheda, in qua notaverat selectissimas de religiosa perfectione sententias, hisque, affirmabant domestici, vitam ejus per omnia consensisse. Rivultius, etsi adhuc novitius, ita cessit à vita, ut optimus quisque veteranorum velit. Eo cum decumberet morbo, cujus est paulatim pestifera tabe consumptus, moerentibus ceteris, ipse exilire gaudio, sollicitare votis mortem, ac tardam dicere, præter cœlestia nihil cogitare, nihil loqui. Pridie obitus, assidentem lectulo Rectorem contuens lætabundus: *Ad cælum*, inquit, *mi Pater, ad cælum*. Tum identidem Deum alloquens: *Ita me*, ajebat, *Tantula operæ, bone Deus, tanta merces?* Creditur migrationis suæ diem, & horam ipsissimam divinitus præsensisse. Indicio est, quod ante quam moreretur quadriduo, disertè affirmavit, quatuor sibi esse reliquos vitæ dies. Die autem quadridui ultima percunctatus, quota esset hora? cum audisset esse ferè duodecimam, dolere se dixit, tantum adhuc superesse ejus diei: se tamen, addidit, in noctem non dilatatum iri. Dicti veritatem affirmavit eventus. Hora enim post meridiem septima pius adolescens ad superos, ut sperare fas est, evolavit.

His ita ad triumphum abeuntibus, bellum urgebant inexpiabile contra errores, & vitia qui relinquebantur commilitones, nec sine laude certabant. Egressi in dioecesim Ruthenensem duo Patres, totam cum sacra missione peragraverunt, & Apostolici laboris ubique impressa vestigia reliquerunt. Quocumque adventarent, præter privatas multorum inimicitias, deferebantur ad eos etiam forenses

To. I.

O

Civi.

78.

Et fratris Francisci Caguini.

79.

RES PROVINCIAE
TOLOSANÆ.
Obitus & obitum P. Joannis Pujolii.

80.

Et Francisci Rivultii tironis.

81.

Labores, & res gestæ Sociorum per provinciam Tolosanam.

Civitatum lites, ut ipsorum arbitrio finirentur. Multa hoc modo finita compositaque sunt, sine strepitu, ac sumptu. Itaque, si paulo diuturnior esset illa missio, affirmabant Causidici, in tota regione perpetuum iustitium fore. Similiter ex collegio Aniciensi procurrerunt in Vivariensem diocesim alii duo Patres, & totam oppidatim lustraverunt. Quid ubique viri præstantes bene ac salubriter gesserint, longum esset per partes exequi. Illud ad memoriam insigne, quod in cunctis fere locis ad quæ itum est, ad augendum Eucharistiæ cultum sodalitates pias instituerunt, quarum esset proprium ac perpetuum officium sacrosancto altaris mysterio honorem, ac venerationem exhibere. Ejusmodi sodalitatium erecta sunt sexaginta circiter. Similia de aliis provinciæ collegiis littera tradunt, quæ ego, ne satietatem legenti afferam, prætermitto. Interim Narbonensis Antistes, dolens magnam populi sui partem, præsertim rusticos, haud satis eruditos divinis rebus & excultos esse, idque confieri ex eo putans, quod Rectores agræstium curiarum turpi inscitia laborarent, cœpit ex his senos septenosque subinde mittere ad Bitterense collegium, ut res scitu necessarias tandiu docerentur, donec ad eas docendas apti viderentur. Præsulis consilium magna est utilitas consecuta, nec vero fera. E Parochis doctioribus cito in plebem manavit notitia earum rerum, quas Christianis hominibus nefas nescire: qua re delectatus Episcopus, necessitatem imposuit Patribus novam aperiendi apud se scholam, in qua seorsum à cæteris erudirentur homines atate, officioque spectabiles.

82.
In collegio Bitterensi nova aperitur schola pro Parochis agræstibus.

83.
RES PROVINCIE
AQUITANÆ.
Socii fructuosè laborant in Bearnia.

84.
Fructus collecti in aliis provinciæ partibus.

85.
Memorable exemplum pueri de parentis salute æterna solliciti.

Similia ferme sunt, quæ reperiuntur in actis provinciæ Aquitanæ; nisi quod hic hæresis quasi dominans, nostrorum conatibus validè resistebat. In Bearnia, cum sectæ principes multis, aliisque coercionibus absterrent gregales suos, ne à Calvino desciscerent, haud satis erat veritatem ostendere errantibus, sed quod multo difficilius, permovendi erant præterea, ut mallet fortunam, patriam, gratiam domesticorum amittere, quam in errore versari. Paucorum fuit hæc virtus & gloria, cum præsertim desudantes ibi Patres, occulte regionem ingressi, abstinere publico cogentur, nec auderet hæreticorum fidei se committere. Tamen fructu non caruit labor inter Catholicos. Restituta est jejuniorum severitas, sacri cæremoniarum ritus ad antiquæ disciplinæ normam revocati: quarum rerum paulatim negligentia apud eos irrepserat, vel oblivio. Vasatensium Antistes Joannes de Barraut par Sacerdotum ex collegio Burdigalensi sumpserat, quibus in inspicienda diocesi sociis, & adiutoribus uteretur. Quocumque itum est, concurrerant ad eos summi infimique expianda animæ causa, atque illi vicissim omnibus præsto erant: Ut miraretur ex æquo Præsul, quam nostri ubique habebant opinionem virtutis, ac patientiam charitatemque, qua laborem immodicum tolerabant. Generalis Præpositus Monachorum Grandimontensium, collapsam in uno quodam è suis cœnobiis disciplinam videns, ac pro merito dolens, ad eam excitandam adhibere statuit operam Societatis. Petenti datur e collegio Lemovicensi Sacerdos prudens, & industrius, qui apud Monachos ad plures dies commoraretur. Pauci præterierant dies, & jam hortando, monendoque, priorum institutorum formam illi familiæ restituerat. Inter Santones invaluerat hæc apud populum opinio, inesse hominibus Societatis arcanum quoddam, & quasi divinam artem componendi diffidia, quod persuasum habebant usque adeo, ut ad eos interdum iter bidui triduique se conferrent non alia causa, quam ut veteres inter se inimicitias ipsorum arbitrio finirent. Ob eam unice rem tres hoc anno familiæ ex Santonibus Engolismam venerunt, & quem sibi propôsuerant itineris fructum cumulatissime retulerunt. In Aginnensi collegio puer annorum undecim audierat sæpe Præceptorem suum cum diceret, parentes nonnunquam à liberis discere quæ salutis inter sint, & posse eorum monitis, si opportune adhibeantur, ad pietatem incendi. Accidit agrotare graviter ipsius patrem, nec inveniri qui auderet agrotantem admonere periculi, aut verbum ullum de confessione particulari cum illo facere. Officium desertum à cæteris arripuit generosus puer, pa-

patrem periculi certiore fecit, tergiversanti persuasit, ut saluti æternæ prospiceret, tandiu demum institit orare atque obtestari, donec ille, arcesso nostra Societatis Sacerdote, confessionem peregit, ac plenus optimæ spei ex hac vita migravit. Visa res quibuscunque innotuit in tantula ætate admirabilis: visa nobis non indigna his annalibus; cum maximè documento esse possit, quantum inter sit pueros præceptis optimis imbui, quidque in cereos illos animos valeat vox magistri. Sed gradum ad alia faciamus.

Secundus hic annus erat à constituta provincia Campania: idem Barroductensis collegii primus fuit. Barroductum, urbs ampla, & elegans, caput est ditionis, quam Barensem Ducatum vulgo nominant. Huc ante sesquiannum Dux Lotharingiæ Henricus mitti curaverat Societatis aliquot operarios, utique sperans fore, ut postquam cives illorum operam experti essent, ad eos perpetuo retinendos adjicerent animum. Non fefellit prudentissimum Principem sua spes. Gymnasium erat publicum cum annuo proventu, ex quo Ludimagistri conducebantur. Sub initium hujus anni cum obiisset gymnasiæ Rector, occasionem arripuit Præfectus urbis, & ad consilium omnium ordinum retulit, placeret ne gymnasium illud tradi Patribus Societatis Jesu? quam relationem approbante, omnium consensu, paucos post dies traditum est Societati gymnasium, nostri in ejus possessionem immissi. Reclamabat decreto civitatis unus civium, & nonnullas obtrudebat moras, gymnasium contendens jure, ut dicitur, patronatus ad suam familiam pertinere, utpote ab avo nescio quo suo fundatum. At Henrici Ducis beneficio delinitus, juri tandem suo libens & volens cessit. Hac habuit initia Barroductense collegium in provincia Campania.

In Hispania, atque in ea Hispaniensium provinciarum, quæ Castellana, dicitur, collegium Salmanticense numerabat ab ortu suo annos circiter septuaginta. Nunc tamen ortum est denuo, ac tanto quidem magnificentius, quanto augustiores habuit fundatores. Jamdiu Margarita Austriaca Hispaniarum Regina, amantissima nostri ordinis femina, tale ibi collegium excitare constituerat, quod non modo provinciis Hispanicis, verum etiam transmarinis quoddam quasi seminarium sacrorum ministrorum esset. Rem exequi morte superveniente prohibita, quod potuit, vestigal annuum reliquerat in ejus dotem, rogaveratque supremis tabulis quam gravissima obtestatione Regem Philippum conjugem, ut in partem pii operis veniens, edificaret de suo domicilium Patribus Salmanticensibus, quod Regii Fundatoris amplitudini responderet. Motus carissimæ Conjugis æquis, & novissimis precibus Philippus Rex, ædificium inchoari hoc anno jussit magnificum, ac Rege dignum. Primo jaciendo lapidi indicta est dies ante Idus Novembris. Ea die Franciscus Mendoza urbis Antistes, ad aream operi destinatam cum insigni celebritate ac pompa progressus, primum dedicavit solemnem carmine lapidem, & ad ima fundamenta demisit. Erat porro lapidi inducta lamina his notis inscripta. *Spiritus Sanctus operi adspiret, sub cuius tutelari Numine Philippus III. Hispaniarum Rex, & Uxor humata Regina Margarita, hoc Societatis Jesu collegium à fundamentis crexere, & perpetuo consensu donavere. Episcopus D. Franciscus de Mendoza, prospiciente Senatorum, & Presbyterorum ordine Salmantino, primum ejus lapidem posuit. Anno xiiij. Pontificatus Pauli V., & nostræ Reparationis MDCXVII. pridie Idus Novembris.*

Dum hæc Salmanticæ agebantur, Vallisoleti in Anglorum seminario non nihil turbatum est, quarum ego turbarum initia, atque exitum paucis absolvam. Ante annos plus minus triginta, cum primum Philippus II. Rex de erigendo illo contubernio deliberavit, intercesserant ejus consilio Quæsitores fidei, periculosum rati, in urbe apprimè Catholica tot simul collocari juvenes inter hæreses natos, & suæ gentis erroribus innutritos. Illud ad extremum pervicerant, ut siquidem seminarium omnino condi oporteret, saltem ejus administratio perpetuo esset apud Patres natione Hispanos; alumni autem in Ambrosiano ejusdem urbis collegio litteris operam darent, & Hispanis omnino moribus viverent. Perdiu ex his majorum institutis mutatum fuerat nihil: nisi

T. I.

O 2

quod

86.
RES PROVINCIÆ
CAMPANÆ.
Fundatur col-
legium Barro-
ductense.

87.
RES PROVINCIÆ
CASTELLANÆ.
Collegium Sa-
l-
manticense ex
integro edificatur regio sui-
ptu.

88.
Primus lapis
in fundamento
collegii positus.

89.
Turbae ortus
Vallisoleti in
seminario An-
golorum, earum-
que causa.

quod extremis Claudii temporibus P. Alphonfus Carillius provinciæ Visitator, nescio quibus de causis, passus fuerat dari alumnis Professores Philosophiæ, ac Theologiæ domesticos, eosque Anglos. Verum post hæc, facto sensim ulterius gradu, datus etiam fuerat seminario Rector ex Patribus Anglicanis, ex Anglicana item Societate quæsi fuerant litterarum magistri, famuli postremò & administrati omnes ex Anglia peti cœperant: ut jam nullus Hispanis locus in seminario relinqueretur, ac nullus reipsa esset Hispanus, si unum modo excipias Fratrem rei domesticæ adiutorem. Hujus indicio Fratris, (sive ille temere & casu, sive de industria loqueretur) innotuit res Duci Lermensium Regis administro primario, qui forte versabatur per eos dies Pinciæ, & in seminarium venerat. Dux factum improbens vehementer, Patribus qui circum frequentes aderant, denunciavit, periculosum videri sibi, nec ferendum, talem juventutem in Hispanorum manu non esse. Admonitus Provincialis, continuo gravissimos Patrum in consilium adhibet. Fit omnium consensu decretum, revocandam omnino esse seminarii administrationem ad primævam institutionis suæ formulam, paulatim tamen, & iisdem fere gradibus, quibus fuerat immutata: nam de Rectore statuere nemo poterat, præter Generalem Præpositum, cujus expectanda erant responsa. Edicitur ergo alumnis illud primum, ut deinceps Ambrosiani collegii scholas adeant. Juvenes ad inexpectatam novitatem fremere, tumultuari, iniqua imperari dicere. Et quamquam principio causas obtenderent in speciem honestas, & quotidianos illos itus reditusque valetudini perincommodos excusarent; tamen haud multo post imperium superbè ac ferociter detrectare, obfirmati nullam frequentare scholam, nisi domesticam, nullos audire Præceptores, nisi Anglos, & populares suos. Frustra preces adhibita, frustra intentatæ minæ. Persistere in contumacia ad plures menses, nec apparere quo demum prorupturi essent, nisi concreverent seditionem una litterarum significatione Rex compressisset. Jubebat iis litteris Rex, ad Provinciale scribens, si quid ex primis seminarii institutis mutatum fuisset, illud omne restitui in pristinum sine mora: ita sibi placere, ita deliberatum ac fixum esse. Viderunt alumni litteras, nec ausi contra hiscere, continuo ad Ambrosianum gymnasium rediere. Dimotis postea seminario Patribus Anglicanis successere Hispani. Rector successorem accepit, ex designatione Mutii, P. Franciscum de Bonavides. Demum obedientia, concordia, quies, & bonarum artium studia in illa domo restoruerunt.

Jam ut odiosis innectam lætiora, nonnulla, quæ ad amplificandum divini nominis cultum fuerunt eodem anno suscepta, paucis expediam. Pompejopoli, quam urbem nunc vulgo Pampilonem appellant, ceoptum est in mores induci, quod alibi passim Societas usurpabat, ut singulis mensibus condiceretur civitati dies ad sacrum epulum, una cum indulgentiæ beneficio fruendum. Piæ consuetudinis lætissima fecit initia pietas civium, qui sacre celebritati mira frequentia interfuerunt. Ex Ovetensi collegio ad Astures montanos excurrerunt octo divini verbi Præcones. Multa sunt per eos revulsæ superstitiones, quæ in populo agresti & inculto à longo tempore inoleverant, multorum restincta odia, & à prima usque ætate confessiones audita. Unum ex illis ferunt mira Dei providentia fuisse ab interitu liberatum. Hospitium sumpserat vir Apostolici moris, quale in illis montibus haberi poterat, in tugurio nescio quo humili, & angusto: cum repente pelli se intimo instinctu sensit, ut alio demigraret. Ingruebat nox, obductum nubibus cœlum procellam minabatur. Tamen continere non potuit sese, quin actutum abiret. Postridie audit, corruisse subito lapsu tugurium, ejus autem ruina oppressam familiam integram periisse. Huic geminum est quod contigit aliis duobus Patribus, ex collegio Legionensi in montana ejus regni profectis. Ruralis Parochus hospitium illis negaverat illiberaliter admodum, & inurbanè. Eadem nocte ædes, quas Dei ministris occluserat, inopinato incendio conflagrarunt. Sed memorabile in primis beneficium, quo B. P. Ignatius Pampilone hominem scelestissimum, sibi tamen utcumque addictum, eripuit ab inter-

90.
Alumnorum
incredibilis con-
tumacia.

91.
Auctoritate
Regis omnia
componuntur.

92.
Res gesta in va-
riis Castellanz
provinciæ locis.

93.
Nostri mira
providentia ab
interitu libera-
ti.

94.
Insigne benefi-

teritu corporis animæque. Torquebatur miser immanium flagitiorum conscientia, & sese male desperabat. Deliberanti qua demum ratione tot animi angores finiret, apparuit, habitu Sacerdotem simulans, Tartareus genius, & mortem voluntariam ut mali remedium unicum suadens, restim ad suspendium offerebat. Jam penè persuaserat: cum adest repente Ignatius cœlesti circumfusus luce, ac primo infestum tenebrionem ipso in fugam agit aspectu. Hominem deinde benignè alloquitur, & sperare jubet meliora, unam modo præcipiens rem, ut conscientia onera apud Sacerdotem deponat. Fecit ille ut monebatur, nulla interjecta mora; ac postea quam confessionem rite peregerat, cum esset jam alius prope vir, pacatus, alacer, ac mira mentis dulcedine delibutus, rem totam, uti acciderat, nostro Sacerdoti aperuit, utque insigne beneficium Ignatii vulgaret, injunxit.

Per hæc in provincia Aragoniensi vivere desiit venerabilis Frater Alphonfus Rodericius, notissima vir sanctitatis, cujus cum impressa & pervulgata sit vita, nos de eo pauca cursim leviterque perstringemus. Patria Segoviensis, genere non obscurus fuit Alphonfus. Adolescens vacare litteris cœperat Compluti, sed à parente revocatus domum, mercatura faciendæ adjecit animum, & uxorem duxit. Post aliquot annos in matrimonio mira innocentia traductos, uxore orbatur, & liberis, uno tantum superstite. Hoc ille loco, rerum omnium humanarum tædio captus, de statu religionis profitendæ cogitare. Non alia prohibebatur re, quam filioli qui supererat caritate: cum illum etiam ad extremum amisit, & quidem adeo sine mœrore, ut potius ejus mortem in loco beneficii longè maximi habuerit. Nam cum semel Deum rogasset, ut siquando videret puerulum tunc innocentissimum in crimen aliquod prolapsurum, prius eum raperet, quam malitia mutaret intellectum ejus, nocte proxima visus sibi est in somnis illum efferre, & reipsa extulit intra mensem. Sic ab omni humana cura liber, seque ad Societatem nostram vocari sentiens, Præposito provincie Castellanae se obtulit. Rejectus propter provectiorem ætatem, Valentiam venit ad Præpositum Aragoniensem. Is, qui qualis vir esset Alphonfus, quam innocens, quam pius, fama cognovisset, toto illum complexus est animo, admissum iri promittens: Prius tamen nonnullam dare litteris operam jussit eo consilio, ut posset inter Sacerdotes adscribi. Erat tunc Rodericius annorum triginta novem. Ea ætate vir non dubitavit in puerorum turbam se conjicere, & grammaticæ salebras sub Ludimagistro tentare. Cum nihil proficeret, redit post aliquot menses ad Provinciam, & ad qualecunque genus ministerii se offerens, inter fratres rei domesticæ curatores recipitur. Vix inierat tyrocinium, cum ad collegium Majoricense est missus, ubi reliquam deinde vitam exegit usque ad annum ætatis octogesimum septimum. Equè incredibilia sunt quæ per annos quadraginta sex à malis spiritibus Alphonfus pertulit, quæque de cœlo gaudia perecepit: Per has quippe vicissitudines virum innocentissimum Deus ad summæ sanctitatis culmen perduxit. Sæpe illum dæmones horrenda specie visendi atrociter verberabant. Sæpe Christus, ac Beatissima ejus Mater benigno aspectu & sermone refovebant. Nunc inter orandum nullus sensus, & ariditas summa: nunc cœlestium deliciarum incredibilis copia. Toto septennio durissimum pro pudicitia certamen tulit. Deo enim sic, ad probandam strenui militis constantiam, augendamque gloriam permittente, instabant dies & noctes mali dæmones, nec ejus tantummodo mentem obscœnis imaginibus agitabant, sed ipsis etiam oculis prævæ libidinis irritamenta subiciebant: tormenti genus viro castissimo adeo molestum, ut diceret, nullam esse tam acerbam poenam, quam non mallet experiri. Ea tandem molestia liberatus, alio consiliari cœpit incommodo, haud sanè levi. Simul ac in genua se demiserat ad orandum, magnis, & vix fereendis corripiebatur doloribus, qui, (ne dubium esset ab hoste tartareo malum inferri) ad signum finiendæ precis omnino cessabant. Decem ipsos annos tenuit vexatio, quibus exactis, miseratus famuli sui diuturnos angores Deus, tantam illi indulgit facilitatem orandi, ut nec inter actiones externas, & domesticorum

cium, Beati P. Ignatii erga hominem se desperantem.

95.
RES PROVINCIAE
ARAGONIENSIS.
Mors & elogium V. Fr. Alphonfi Rodericii.

96.
Mortua conjuge unicum non invidus amittit filium.

97.
Societatem postulat. Recipitur inter Fratres, & Majoricam mittitur.

98.
Quibus gradibus ad insignem sanctitatem pervenerit.

mij-

99.
Mira ejus pietas
erga altaris my-
sterium, & B.
Virginem.

100.
Ejusdem non-
nulla dona su-
pra naturæ or-
dinem.

101.
Moritur, ac
statim ei cele-
stium honores
deponuntur.

102.
Mors & elo-
gium P. Joannis
Sancii.

103.
Mulier divini-
tus admonita,
nostros adit, &
conscientiæ an-
goribus libera-
tur.

104.
Acta Sociorum
Valentiæ, &
Herda.

ministeriorum curas à meditatione rerum coelestium abstraheretur. Summa perfunde-
batur voluptate in venerando, sumendoque altaris mysterio: atque olim
cum rei sacræ ministraret, matrona nobilis, & notæ probitatis, vidit ex ejus
capite profundi lucem ingentem, quæ bifariam divisa, duobus radiis in altum
ferobatur. Secundum Deum, præcipuus Alphonfi amor Virgo Dei Mater.
Hanc parentis numero & loco habebat, hanc ut parentem suavissimam in suis
rebus omnibus compellabat fidenter, ac familiariter, nunquam frustra. Ejus
aspectu & alloquio sæpe fuisse dignatus dicitur, semel ejusdem voce prohibitus
dubitare, an ab ipsa diligeretur. Multa illi de abditis, & futuris rebus, multa
de gloria Beatorum ostensa. Divinarum rerum homo nullis eruditus litteris tan-
tam habuit intelligentiam, ut nec Theologorum exercitissimi sublimitis de
Deo sentirent, aut aptius loquerentur. Propter hæc, aliasque sanctitatis exi-
miæ notas, quas longum esset exequi fusius, toto Regno Balearico magnum
erat Alphonfi nomen, magna opinio, nec alio passim designabatur, quam San-
cti nomine, quamvis nihil illi esset semetipso contemptius. Obiit pridie Cal.
Novembres, elatusque est incredibili omnium ætatum, atque ordinum celebri-
tate ac frequentia. Statim autem post ejus obitum Prorex nomine totius regni
preces Paulo V. Pontifici obtulit, enixè rogans, ut homini omnium opinione
sanctissimo coelestium honores decerneret: quod etsi nondum est factum, faci-
endum tamen speramus aliquando. Interim privata piorum veneratione ubique
terrarum colitur venerabilis memoriæ vir, & omnium manibus cum ingenti fru-
ctu teritur ejus vita.

Paulo ante Rodericium, xiv. Cal. Octobres decefferat Valentia P. Jo-
nes Sancius, de quo etiam litteræ hujus temporis multa tradunt ad memoriam
illustria. Humanis divinisque litteris egregie excultus, eam præcipuè callebat
Theologiam, quam mysticam dicimus. Seu mente precaretur, seu voce, mira-
mentis dulcedine perfunde-
batur, ut coelestium deliciarum specimen prægustare
quodammodo videretur. Plura administravit collegia, semel provinciam uni-
versam: Hos autem magistratus ita gessit, ut in omnibus ejus factis dictisque
charitas & humilitas elucerent. In collegio Valentino proprium sibi munus fe-
cerat dividere inter pauperes, qui ad ostium gregatini conveniebant, mensæ
reliquias, idque non aliter faciebat quam de genu, ac detecto capite, plane
ut videretur agnoscere ac venerari in unoquoque inopi Christum Dominum,
memor divinæ illius vocis: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*
Suum curari à quoquam Fratrum adjutorum cubiculum nunquam est passus, ne-
tum quidem cum regiminis curis erat implicatus, imo nec in fenestrate extre-
ma, famularibus ipse ministeriis exerceri gaudens, studio humilitatis, qua in-
virtute maximam religiosæ perfectionis partem constituerebat. Paupertatem habe-
bat in deliciis. Tota ejus suppellex lectulus, mensa, sella, ligneum Christi
Crucifixi signum, & B. Virginis imago è charta. Præter hæc nihil in cubicu-
lum admittebat. Agebat cum mortuus est annum ætatis septuagesimum primum.
Sed à laudibus mortuorum ad labores viventium transeamus.

Ex variis provinciæ domiciliis ad pagos atque oppida circumposita de more
procursum est: ubique pretium operæ factum. Fuit in loco nescio quo mulier
multis anxia religionibus, eaque propter iniques, tristis, ac vitam agens tur-
bulentissimam. Malo ut remedium inveniret, fundebat ad B. Virginem assiduas
preces, quibus dum insistit, oranti hæc reddita vox: bono esset animo: duos
propediem affore poenitentia ministros, cujusmodi opus esset: his se tuto re-
gendam committeret. Nec ita multo post affuere nostrorum par, in sacram ex-
peditionem profecti. Mulier ipsos esse rata, de quibus oraculum indicaverat,
eos confestim adit, alloquitur, uno congressu omnes conscientia angores deponit.
Valentiæ in domo Professorum constatum est novum ex Sacerdotibus sodali-
tium, iis tantum coopatis, qui morum integritate, & exemplo vitæ proba-
tissimi haberentur. Herda detectum nuper fuerat veneficarum conciliabulum,
quo nihil sceleratius. Horret animus dicere, quibus carminibus & devotionibus dia-

diabolo initiatæ essent mulieres impiæ, quam flagitiose viverent, quot populo damna, quot pestes inferrent. Pleraque suspendio necatæ fuerunt. Ut tamen prius ad poenitentiam criminum adducerentur, Magistratus advocandam censuerunt industriam Societatis, quodque optabant unicè, viderunt feminas antea scelestissimas sua ultro confitentibus flagitia, pudore suffusas, fletu madidas, & supplicium quo decet animo, ac pietatis sensu subeuntes. Pari supplicio cum afficeretur in majori Balearica juvenis furti convictus, illustre Societati nostræ testimonium dedit. Educatus fuerat in scholis collegii Majoricensis, vixeratque per diu non innocenter solum, sed piè admodum, & laudabiliter. At mulierculæ amore captus, ut ei morem gereret, abstraxerat sese paulatim ab omni usu commercioque nostrorum: quo excusso veluti fræno, deflexerat deinde ad juventutis vitia, ac tandem ad extremum inopiæ, ut usivenit, redactus, calicem sacrificalem ex ade sacra furripuerat. Deprehensus, & sacrilegii damnatus, producitur ad patibulum. Ut stetit in scala, ex qua erat deiciendus, vocem intendit, & ad confertissimam multitudinem sermonem convertens: *Discite*, inquit, *ex me quanti intersit, cujus quisque utatur consuetudine. Quamdiu fui sub disciplina Patrum Societatis Jesu, cum iisque usum & familiaritatem habui, vitam vixi integram, & Christiano dignam. At postquam valere, illos jussi, ut aliis quibusdam solutioris vitæ hominibus me adjungerem, intra semestre spatium per varios scelerum gradus prolapsus, ad hunc tandem quem videtis locum deveni.* Movit oratio plurimos, præsertim juvenes: nostris autem, qui ei benignè assistebant, lacrymas excussit.

Provincia Toletanæ nova accrevit hoc anno Professorum domus Matriti. Domui autem Professorum vix natæ sacrum B. Francisci Borgiæ corpus tributum est à Romana. Utrumque auctoritate, & sumptu viri in aula Hispaniensi prævalidi, Francisci Rojas de Sandovalio Lermæi Ducis, mox Cardinalis. Is cum esset ex ejusdem beati viri filia natus, impetraverat haud ita pridem à Romano Pontifice, ut quæstio de avi sui sanctimonia institueretur; simulque ejus reliquias petierat a Præposito Generali, fundaturum se promittens in urbe regni sede domicilium Societatis, cum magnifico templo, in quo apte collocarentur. Ægrè adducebatur domus Romana, ut thesauro spoliaretur tam pretioso, tam suo: sed non licuit viri potentissimi postulatis obfistere. Relicta igitur Romæ ex cunctis Borgiæ ossibus tantum inferiori mandibula, reliqua Matritum delata sunt. Eodemque tempore Dux Lermæus, ut quoquo modo promissa præstaret, quasdam coemeteria insulas, ornavit, instruxit, Societati mancipio tradidit. Reliqua erat cura de templo. Amplum illud, & magnificum Fundator moliri cogitabat. Sed donec extrueretur, aliud interim parari opere tumultuario placuit, in quo Patres sacra non incommodè ministrarent. Huc inter longos funalium ordines sacrum Francisci corpus illatum est XIII. Cal. Januarii, deducente ipso Lermæo nocturnam pompam, quam Socii supra centum in templi vestibulo exceperunt. Postridie vero novam ædem solemnè ritu initiavit Antonius Cardinalis Zapata, præsentè Rege, & Regiis liberis. Paulo ante quam hæc agerentur, Patres Matritenses parandam curaverant perfugii domum mulieribus, ex meretricio quæstu respicientibus. Immigrarunt in ea septa, quamplurimæ; utque eximerentur periculo, quod est in egestate gravissimum, vitam deinceps partim utili opificio, partim piorum liberalitate sustentare cœperunt. Eodem anno domus Professorum Toletana, ob angustiam loci perincommoda, multum laxata est, adjuncto illi proximo nosocomio, & agrotis alium in locum traductis. Res tum ad domesticos, tum ad publicos usus planè necessaria, sæpe antea tentata sine successu fuerat, & videbatur nunquam felicem exitum habitura. Compluti id agebat celebris illa toto orbe terrarum Academia, ut suum erga B. Virginem studium luculentius in dies testaretur. Hac mente cum statuisset diem, qua academici piam, & jam fere communem de conceptu ejus immaculato doctrinam profiterentur, magno concursu & gaudio ea dies est celebrata. Ut nonnullæ fuerant in eo capiendò consilio partes Socie-

105.
Juvenis in extremo supplicio honorificum Societati testimonium reddit.

106.
RES PROVINCIAE
TOLETANÆ.
Corpus Sancti
Francisci Bor-
giæ Roma Ma-
tritum deferitur.

107.
Erigitur Matriti domus Professorum liberalitate Ducis Lermæi.

108.
Domus perfugii mulieribus respicientibus excitata Matriti.

109.
Amplificatur domus Professorum Toletana.

110.
Studium Complutensium, & Villaregiensium pro immaculata Conceptione B. Virginis.

cietatis, celebritati frequentes interfuere collegii Patres, ex quibus P. Hieronymus Florentia, magni orator nominis, pro causæ magnitudine peroravit. Pari studio incensus pridem fuerat cohortatione nostrorum Senatus Villaregiensis. Hoc itaque anno jurejurando se obstrinxit, nemini deinceps ullam publici muneris partem mandaturum, nisi ei, qui sententiam de immaculato conceptu Virginis profiteretur, juraretque se tam insigne privilegium divinæ Matris pro viribus asserturum. Ita sensim per totam Hispaniam ad tuendam Beatæ Virginis prerogativam longe pulcherrimam incalcesebant animi, & eo quidem ardentius, quo validiores consurgebant ex adversum impugnatores & adversarii.

111.
Murciæ Mahometanus proxime ante mortem baptizatur S. Ignatii beneficio.

Multos interea mortalium à scelere ad frugem, & ab interitu sempiterno ad certam salutis spem revocatos in eadem provincia reperiebam: sed cæteris prætermittis, de uno tantum Mahometano dicam, in quo videre licuit celestis gratiæ vim admirabilem, & divinæ prædestinationis non obscurum indicium. Jacebat Murciæ infelix gravi oppressus morbo, & medicorum judicio prope depositus; nec vero ullis cujusquam suasionibus pellebatur, ut in eo saltem rerum articulo respiceret sese, & superstitionem abjiceret. Suapte ingenio pertinacem confirmabat in vesania uxor læto assidens, femina superstitioni patriæ addictissima. Nostri, qui præter alios fuerant evocati, postea quam omnia incassum experti fuerunt, digressi paululum in propinquum conclave, procumbunt in genua supplices, B. P. Ignatii opem implorant. Nondum finierant precem, cum æger, reclamante nequidquam uxore, compellat ultro Patres, & ablui quamprimum baptismo rogat. Mirari enimvero omnes mutata tam subito voluntatem. Causam percunctantibus narrat æger, adlitisse sibi virum similiter ac nostros indutum, & omnino persuasisse ne oblatum respueret beneficium, siquidem vellet æternum salvus & felix esse. Ita vir nuper indomita pervicaciæ, ad omnia se docilem præbens, elementa fidei, quantum in angustia temporis licuit, edoctus est, Christi sacramentum accepit, nec multo post ex hac mortali vita decedens, ad celestem, uti sperare fas est, transit: lætis admodum Patribus, cum propter exitum felicissimum laboris sui, tum quod videbant, sibi pro salute animarum laborantibus non deesse celestem opem, nec Ignatium frustra invocari. At Ocaniæ laboranti pro eadem causa nostro Concionatori nonnihil adversi accidit. Res est in speciem levior, dicenda tamen, ut si quid simile aliquando nostris operariis contingat, sciant neque novum id esse, neque magnopere pensi habendum. Ludum nequitia aperuerat in ea urbe Histriorum familia, populumque otiosum spectaculis detinebat pudicis parum, & ad illicita prolectantibus. Damnosam licentiam ægre ferens concionator pius, in eam liberrima oratione investus est, illam præter alias adhibens Petri Chrysologi divinam vocem: *Qui voluerit jocari cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.* Pupugit oratio ludiones, quibus decrecente frequentia, minuebatur quæstus, maximè vero eorum principem. Itaque ut primum in scenam prodiit projectissimæ audaciæ vir, contra molestum concionatorem multa scurriliter & impudenter jocari coepit, donec ad summum temeritatis prolapsus, constare sibi dixit, severum illum comædiarum censorem Murciæ habuisse pellicem, flagitii autem compertum clam aufugisse, conjiciendum in vincula, nisi quam maturrimè solum vertisset. Sic ille petulanter, & liberè, non ad risum concitandum, sed ad inurendam homini innocentissimo infamiam. Nihil tamen consequi minus potuit. Nauseam movit multitudini criminatio non minus falsa, quam atrox. Cunctis confuso fremitu obstrepentibus, unus sublata voce improbum circulatorem mendacii redarguit. Alii rem ad Prætorem detulere. Motus indignitate Prætor hominem rapi confestim jubet in vincula, nec multo post calumniæ convicto hunc poenæ modum decernit, ut jumento circumferatur per urbem, & ducentas à carnifice plagas accipiat. Jam ministros urgebat, ut maturarent imperata facere: sed affuit in tempore concionator, idem ille scilicet quem Histrio læserat, & poenam reo deprecatus est.

112.
Ocaniæ circulator improbus nostro concionatori calumniam inurit, sed non impune.

Eodem anno in urbibus oppidisque provinciæ Bæticiæ, ubicunque Societas habitabat, miro populorum studio acceptum invenio diploma Pontificis, quo mensuram synaxim in aliqua nostrorum æde celebrantibus plenaria, ut dicitur, indulgentia tribuebatur. Hispali, primo anni die, supra quatuordecim millia numerati, qui in templo Professorum ad sacrum epulum accessere. Par alibi, pro locorum diversitate, fuit frequentia. Granatæ, tribus jam pridem institutis, quartum additur hoc anno sodalitiū pro academicis: nondum quippe, consultum hac ratione fuerat moribus adolescentum, in gymnasio publico litteris operantium. Cordubæ unus erat nostrorum designatus, qui singulis mensibus prandium curaret victis, quorum ingens numerus in carcere attinebatur. Venerunt hoc anno in partem pii operis Mariani sodales, nostrorumque animati exemplo, minime dubitarunt ollas per urbem mediam, aliaque plena cibariis vasa ad carceres comportare. Giennæ mulierculis, nefarium quæstum corpore exercentibus, providit Sociorum industria, parato illis domicilio, ubi per fugium tutum haberent, & partim labore manuum, partim aliena misericordia vitam tuerentur. Verum inter hæc novitium amissimus, cum aliis laudibus, tum præsertim constantiæ commendatione dignum, qui locum obtineat in annalibus Societatis. Fuit is Lazarus Caravagialis, adolescens eximia spei. Ad ingentem fortunam sanguinis ingenique fiducia connitenti, persuaserat repentinus amici obitus, ut spreto omnibus quæ morte finiuntur, animum ad æterna converteret, eoque consilio ex paterna domo, lauta illa atque opulenta, migraverat in tirocinium Societatis. Ibi dum coerendis animi cupiditatibus, subigendoque corpori vim omnem intendit, atteri paulatim valetudo ex assidua contentione coepit, donec tabem contraxit exitialem. Cum nulla invenirentur depellendo morbo idonea medicamenta, datum est iteratis parentum precibus, ut Guelvam ad eos remitteretur, curandus scilicet in natali solo commodius. Illi, qui omnem familiæ spem in adolescente haberent repositam, necdum conceptum ex ejus discessu moerorem penitus abjecissent, hac mente curandum repoposcerant, ut, si qua fieri posset, inflecterent ejus animum, alienarentque à Societate. Ergo, ut aliqua ostendebatur prosperæ curationis spes, instare apud eum multis cum lacrymis, orare, & obtestari, ne suos in tam calamitosa orbitate relinqueret: sustineret collabentem domum: miseretur saltem sororum parvularum, quibus utroque mox parente carituris aliud præsidium non esset, nisi in ejus ope. Hæc subinde occurrentibus resistebat immoto animo Lazarus. Cum pergerent illi nihilo secius machinas omnes ad ejus labefactandam constantiam admove, præcidendam denique omnem victoriæ spem uno velut ictu statuit. Duos ad se Patres è proximo Higuereñsi collegio vocat. Qui ubi affuerunt, his coram, adstantibusque circum domesticis, & complorantibus, intendit vocem, ac disertissimis verbis omnipotenti Deo vovet, se usque ad extremum spiritum in Societate perfiturum. Quieverunt tum demum parentes. Ipse vero haud ita multo post, vi morbi intenta moriens, voti fidem implevit. Longe disparem habuit exitum unus è Fratribus rei domesticæ adjutoribus. Huic missionem enixè postulanti negaverant per diu moderatores, ac tandem agrè concesserant. Veste vix mutata miser, dum discedit ex urbe Corduba, subita vi morbi afflictus concidit in itinere, diem eundem nactus vitæ & Societatis ultimum. Mortui cadaver die postero relatum Cordubam, quærebant sollicitè Magistratus, cujus esset? Nemo norat. Ea brevi foeditas formam ejus omnem corruperat. Repertæ casu in pera missionis litteræ prodiderunt.

In Lusitania lugubrem toti Societati fecit hunc annum mors Doctoris Eximii Francisci Suarez, qua morte lumen nostri ordinis ferè præcipuum extinctum est. Moriendi causam traxisse creditur ex laboribus, molestiisque pro communi bono susceptis. Cum enim Ulyssipone esset, contigit ut inter regios ministros, & Oratorem Pontificium (Collectorem tunc vocabant) gravis de jure imperii controversia nasceretur; quæ dum vehementius incalcescit, eo ventum est, ut Collector usu sacrorum interdiceret civitati, Publicam offensionem ut tolleret

To. I.

P

Sua-

113.
RES PROVINCIÆ
BÆTICÆ.
Acta Hispali,
Granatæ, Cor-
dubæ, & Giennæ.

114.
Mors Lazari
Caravagialis ti-
ronis, ejusque
mira constantia
in vocatione.

115.
Defectio, &
repentina mors
domestici adju-
toris.

116.
RES LUSITANIÆ
Mors & elo-
gium V.P. Fran-
cisci Suarez.

117.
Societatem pe-
tens rejicitur ut
ineptus, & vix
tandem admitti-
tur.

118.
In studiis pa-
rum aut nihil
proficit aliquan-
diu.

119.
Illustratur ex
improvisò, &
miram confe-
quitur ingenii
vim.

120.
Beneficium
B. Virgini ac-
ceptum refert,
in ejusque ho-
norem primam
edit lucubrati-
onem.

121.
De eximiis
Suarii virtuti-
bus pauca indi-
cantur.

Suarius, concurrere urbem in summis anni caloribus coepit, causam agere voce, & scripto, non labori, non industria parcere. Itaque febrì correptus, cum acri dolore lateris, decima post die, quæ fuit VII. Cal. Octobris, animam exhalavit. Jam vero hujus viri celebrius est nomen, quam ut qualicumque litterarum commendatione apud posteros egeat. Scholæ prius omnes, atque optima quæque studia interibunt, quam Suarii memoria intercidat, aut parta tot libris existimatio confenescat. Granatæ natus erat, parentibus non pietate minus, quam nobilitate conspicuis. Dum jurisprudentiæ vacat Salmantica, incensus incundæ Societatis desiderio, quamquam esset & generis claritate, & morum innocentia spectabilis, tamen communi Patrum judicio rejiciebatur, ut ineptus ad omnia ordinis ministeria. Ea putabatur esse tarditate ingenii. Recepit illum nihilominus provinciæ Præses; Patribus autem in consilio contradicentibus, divino instinctu respondit, quem ipsi putarent oneri futurum, magno olim decori & ornamento futurum Societati. Suarius, anno tirocinii vix exacto, contra quam usus habet apud nos, Dialecticæ studiis admovetur in collegio Salmanticensi. At dictata Præceptoris dies noctesque evolvens, nihil proficiebat initio. Itaque re desperata, adit ultro Rectorem collegii P. Martinum Guttierrez; & quoniam constaret, non esse sibi ingenium altiorum disciplinarum capax, rogat, ne se patiat in earum studio tempus atque operam perdere, sed magis humilioribus ordinis ministeriis addictum velit. Collaudavit adolescentis modestiam Guttierrez; quod tamen rogabatur, disertè negavit se facturum ullo modo, aut permissurum. Bono esset animo: coeptis fidenter insisteret, & in finem divinæ Matris, quæ sedes est omnis sapientiæ, se conferret. Id ille cum faceret diligenter, ecce tibi haud multo post inopinata rerum, ac mira commutatio. Veluti ex densa caligine in clarissimam eductus lucem, ille nuper tardus atque hebes, jam æquales omnes ingenii celeritate, & perspicacia superabat. Sensit beneficium Virginis adolescens, nec commisit ut ulla eum dies immemorem coargueret. Inter prima, quæ adhuc discipulus ex ingenii sui officina deprompsit, lucubratiō fuit Virgini perhonorifica, qua, quod olim recolenda memoriæ vir Joannes ab Avila in concione dixerat, probabiliter credi Beatam Dei Matrem Sanctis simul omnibus Angelisque fuisse sanctiorem, id invictis rationum momentis confirmabat. Tradunt annales litteræ collegii Complutensis, ipsam post hæc Virginem sese visendam exhibuisse Martino Guttierrez, & gratias egisse, quod talem de se opinionem vulgandam curasset. Jam de monumentis ingenii atque doctrinæ, quibus deinde Suarius rem scholasticam auxit, illustravitque, otiosum sit hoc loco dicere: teruntur enim Theologorum omnium manibus ejus scripta præclara, nec est qui non miretur, potuisse unum hominem tam multa, tam varia, eaque tam sapienter, aptè, ac nervosè conscribere. Pauca igitur ad commune documentum attingam de sanctimonia ipsius, quæ dubito an non multo supra doctrinam eminuerit.

Christianam humilitatem, quæ sanctitatis veluti basis & fundamentum est, vel inter summos honores ita coluit Suarius, ut nihil esset illi semetipso desperatius. Celebrabatur ubique ut theologicæ facultatis sui temporis scientissimus. Illum Romani Pontifices, illum summi Reges, Episcopi, Academia in honore ac pretio habebant, ornabantque certatim. Illum doctissimi quique in rebus gravissimis ac difficillimis consulebant. Romæ cum esset, & Theologiam in collegio Romano traderet, fama est, primæ ejus prælectioni ipsum interesse voluisse Pontificem maximum Gregorium XIII., raro admodum honoris exemplo, nec scio an non etiam unico. Paulus V., visis Suarii scriptis, ejusque excellenti fama permotus, dedit ad eum litteras amantissimas, quibus eundem Eximii Doctoris appellatione honestabat. Quacunquē iter faceret, confluebant magno numero summi infimique, visendi studio virum doctrinæ fama nominatissimum. Fuit ubi venienti, ad urbis usque portas obviam processere Doctorum collegia, cum suis insignibus, omnique apparatu ac pompa, ut cum quanto poterant maximo honorem exciperent, salutarent, & ad hospitium deducerent. Tot inter publicæ

existimationis indicia vir abjectissimè de se existimans, tam multum aberat, ut ullo afflaretur inanis gloriæ sensu, ut inò illis nihil ferret molestius. Suis semper laudibus offendebar. Contra, si cuiuspiam vel invidentia, vel alia qualibet perturbatione, contumeliis afficeretur, id enim vero sibi debitum agebat esse, id gratissimum accidere ostendebat. Cum ad publicè disceptandum, more scholastico vocabatur, in certamine ingenii, quo tantopere incendi solent animi, non tam id agebat ut adversarium difficultatibus includeret, quam ut ei exitum expediret, disputationis cursum de industria reflectens molliter, si quando irretitum videret, ut spatium evadendi relinqueret: hanc usurpare vocem solitus: *Malo confundi, quam confundere*. Nunquam ita se in libros, & sua studia demerit, ut non potiorem haberet precandi curam. Quotidie summo mane sesquihoram, horam alteram sub noctem divinis commentationibus dabat. Fertur ejus familiare dictum, malle omni carere scientia, quam de constituto orandi tempore vel tantillum decidere. Inventus est aliquando inter orandum ita à sensibus alienatus, ut neque vocem ullam, neque strepitum audiret. Visus etiam quatuor aut quinque palmos à solo sublatus, cum interea magna vi luminis ex imagine Christi emissa perfunderetur. Quæ, & similia traduntur copiosius in historia, quam Josephus Massejus edidit de ipsius vita. Obiit venerabilis vir in Ulyssiponensi Professorum domo, anno ætatis suæ septuagesimo, cum ageret in Societate quinquagesimum tertium.

Interea loci ardens illud pro Conceptu Virginis intaminato studium, quo flagrare Hispaniam supra demonstrabamus, pervasit etiam in Lusitaniam, & primam omnium Eborensis Academiam corripuit. Dederat ad eam litteras Rex Philippus, doctores admonens, ut libellum super ea causâ conciperent, communi nomine deferendum ad Romanum Pontificem. Una omnium fuit sententia, rogandum enixè Christi Vicarium, ut rem plerisque jam Theologis certam, & omnium fere gentium persuasione comprobata, inter fidei capita adnumerandam decerneret. In hanc sententiam responsum est Regi, & libellus ad Ponticem missus. Fit deinde summo academicorum consensu decretum, ne quis deinceps ad ullum scientiarum honorem admittatur, nisi se prius ad defensionem ejusdem causæ sacramento obstrinxerit. Neque hic se continuit hominum pietas. Diem constituunt Divinæ Matris Conceptioni sacram, qua die in ejusdem honorem quotannis in posterum solemnissimè supplicatio peragatur, ducto agmine à Collegio, quod Dei Matris vocant, ad nostram usque adem: quod ideo sanxerunt, ut extaret perpetuum quasi testimonium publicæ voluntatis erga Deiparam sine labe conceptam. Cæterum, quod ad nostrorum res gestas attinet, Patribus Lusitanis nusquam hoc tempore uberius constitit laboris fructus, quam in illo Africæ tractu, quem Guineam appellant. Regio est secus mare Atlanticum, quo alluitur à meridie, in magnam longitudinem exposita, ferax opum diversæ generis, negotiatione & commercio Europæorum non minus, quam cæli inclementia, & intolerandis caloribus cognita: Terminatur celebri promontorio, quod vulgo Caput viride nominant. Crebræ adjacent insulæ, modico inter se freto diremptæ. In his Christiani inveniebantur plures, haud ita pridem à P. Balthasare Barreira ejus gentis Apostolo instituti: sed alicubi cultorem habentes nullum, alibi non satis idoneum, deflexerant plerique jam ad errores pristinos, permixtique Saracenis atque Ethnicis, vitam prope ut illi corruptissimam agitabant. Nostri ergo, etsi numero haud amplius tres, sua relicta sede, quam habebant in continenti Guineæ, has peragraverunt insulas, & Evangelicum quasi imbrem arentibus ubique satis circumtulere. Respondit laboris magnitudini fructus, Multorum revixit quæ pene emortua erat fides, plurium castigati sunt mores, pietas excitata. At operi dum insistit ardentius, labori succubuit P. Emmanuel Alvarus, operarius impiger, actuosus, strenuus, & quo post Barreiram nemo fortasse melius de illa missione unquam est meritus. Novem ante annos in eam Africæ oram navigaverat ex Lusitania, totoque hoc præterito tempore Christi nomen inter barbaros propagaverat, non minori sua patientia,

To. I.

P 2

quam

122.
Signis cœlestibus illustratur.

123.
Universitas Eborensis suum pro Conceptu Virginis immaculato studium proficitur.

124.
Sociorum labores in Insulis Guineæ.

125.
Mors & elogium P. Emmanuelis Alvari.

126.
RES PROVINCIAE
GOANÆ.
Obitus & elo-
gium P. Hiero-
nymi Xaverii.

quam utilitate animarum. Præter ceteras ejus virtutes, effusam in pauperes beneficentiam, cum Lusitani, tum Indigenæ admirabantur. Obiit in vico, quem Saltum Iearnæ vocant.

127.
Ejus fortitudo
in tuenda inter
Mogoles Chri-
stiana lege.

Sub idem tempus in provincia Goana P. Hieronymus Xaverius, B. Francisci Indiarum Apostoli ex fratre nepos non degener, ejusque virtutum amulator egregius, dum maxime Goanum collegium cum approbatione omnium summa regit, & pari domi forisque opinione sanctitatis florescit, repentino ictus morbo, inter curantium manus expiravit, XIV. Cal. Quintiles. Adscriptus fuerat in Societatem Compluti ante annos ferme quinquaginta. Exacto vix tirocinio ad Indos venerat, Patru sui memoriam inter eas gentes renovaturus, non minus apostolicæ vitæ instituto, quam nomine. Goæ cum esset, & Professorum moderaretur domum, accidit ut Achabarus magni Mogoris Rex postularet Societatis viros, qui religionem Christianam in illo Imperio disseminarent: quæ res cum accideret nostris optatissima, eo statim perrexit cum Patre Emmanuele Pineiro noster Xaverius: ex quo tempore in Regia Mogolica, per annos amplius viginti commoratus, ita se Regi quantumvis barbaro, & virtutem suam probavit, ut posset apud eum auctoritate & gratia plurimum. Ejus itaque patrocinio tutus, divinam legem privatim ac publicè docuit, multos mortalium ad Christi partes adduxit, Neophytos cum ethnicis, Mahometanisque conviventes in fide & pietate continuit; frementibus nequidquam impie superstitionis doctoribus, & mortem, si porro pergeret, comminantibus. Neque has tantum minas Xaverius Christi causâ contempsit, sed, quod multo majus, ipsi interdum Regi de se optimè merito resistere sacerdotali spiritu, ejusque in se iracundiam provocare non dubitavit. Legem proposuerat barbarus, qua matrimonia inter affines jubebat rata esse. Non tulit pravitatem Sacerdos. Intercessit palam, & Christianum nescio quem deterruit, ne sororem defunctæ conjugis, uti constituerat, duceret. Vocatus à Rege, & increpitus graviter, quod rem veteret sua lege permissam, se vero, respondit, perire millies, atque omnia perpeti malle, quam iniquam legem, & incestas nuptias tacendo comprobare. Quod ea vocis animique constantia dixit, ut qui aderant aulici, tantam in hominè inermi, coram potentissimo ac ferocissimo rege, libertatem mirarentur majorem in modum. Miratus est ipse Rex: & quamquam ita loquentem superba duntaxat irrisione puniendum censuerit, iræ moderans; nihil tamen effectum propius, quam ut beneficiis illum omnibus, quibus ante ornaverat, & vita ipsa spoliaret. Animi magnitudini pares fuerunt Xaverii virtutes reliquæ. Effecerat sanctitate morum suorum, ut ipsis venerationi esset hostibus Christianum nomen. Quamvis autem steriliorem expertus fuerit agrum Mogolicum, nec eos ceperit fructus, qui tot laboribus responderent, non tamen vacuis omnino rediit manibus. Præcipuum operæ pretium fuere morientes parvuli, quorum ingentem numerum baptismo tinxit. Designatus fuerat successor Archiepiscopi Cranganorensis. Sed ante vivere desiit, quam Pontificalibus Sacris initiari potuerit.

128.
Acta in Æthio-
pia. Multi con-
tra Imperato-
rem apertè con-
spirant.

Per hæc in Æthiopia, intento Principe ad Religionem catholicam instaurandam, gravis contra eum coitio, ut supra indicatum est, tumescebat, quæ demum in apertam rebellionem prorupit. Convenerat inter conjuratos, ut Julius Imperatoris gener, Tigræorum Prorex, armis repente invaderet regnum Gojamense, Proregem Cela-Christum catholicæ partis fautorem præcipuum opprimeret, eoque interfecto advolaret cum infesto exercitu ad Regiam: futuram namque ibi reliquam conjuratorum manum, quæ Imperatorem vel per insidias occideret, vel in acie proditum hosti impune mactandum daret. In hunc modum res condixerat nefariorum consiliorum artifex Abuna, apud quem summam esse sacrorum potestatem supra dicebamus. Julius ergo, sublato perduellionis signo, adjunctoque sibi eorum ingenti numero, qui vel rerum novarum studio, vel amore avitæ superstitionis, mutari statum Reipublicæ cupiebant, succinctus copiis temere & undecunquæ collectis, quarum mira erat audacia, sed nulla

vir-

virtus, Gojamum magnis itineribus contendebat. Festinanti occurrit Abuna, & magnopere suadet, ut omisso in præsentia Cela-Chrifo, totam belli molem in ipsam Imperii sedem convertat: haud dubiam in manibus esse victoriam: Seltanum rei ignarum castra habere militibus, & comitatibus imparata: Præfectorum plerosque, occulto secum foedere conjunctos, Principem in pugna discrimine prodituros. His auditis Julius, conversis signis, Dambeam ingreditur. Fit nefariae expeditionis comes & particeps, qui auctor fuerat Abuna, non minus ipse lingua, quam Julius armis, internecinum Regi bellum facturus. Tanta in eum rabie ferebatur improbus, ut non sit veritus palam pro concione dicere, si quis Imperatorem occidisset, illi Deum ob tale meritum omnium quæ deliquisset veniam facturum. Inter hæc certior fit Imperator, Julium in armis esse, & ad occupandum Gojamum cum exercitu proficisci. Nec mora. Laturus opem fratri Cela-Chrifo, præmittit Lusitanorum cohortem, ipse cum omnibus copiis subsequitur. At in itinere citatis alio super alium nunciis admonetur, retro flexisse gradum perduelles, venire contra ipsum recta, iter bidui tantum abesse. Erat Seltanus numero militum longe hostibus inferior. Nihilominus eorum, quos circa se habebat, fidei virtutisque confidens, nec esse à dignitate imperii existimans prælii aleam refugere, venientibus obviam ire statuit. Edito professionis signo, aliquos præmittit, qui locum ponendis castris, explicandisque in aciem copiis opportunum capiant. Illi clam hostibus foederati, confedere in modica planitie, perpetuo montium jugo à tergo, & à lateribus clausa, ut regio adversariorum equitatu obterendos darent; hoc etiam consilio, ne Imperatori post acceptam cladem pateret ad fugam exitus. Locum ut vidit Imperator, facile intellexit quid haberet incommodi: tamen nihil minus quam fraudem suspicans, in collem proximum castra transtulit, quo difficilis esset equitatu adversariorum accessus. Ecce autem haud multo post, inclinante in vesperam die, adsunt in conspectu hostes, castra à regione ponunt, ad pugnam parantur in diem crastinum. Ut illuxit, utrinque acies instrui cœperunt. Abuna, furia & fax ejus belli, ex editiore loco suis in aciem euntibus animos addere non cessabat, crucem sinistra ostentans, dextera signum bene ac feliciter precantis faciens. Sed nihil Deo execrabilius fuis pro mala causa precibus impiorum. Processerat Julius equo sublimis cum turma equitum, jussisque suis præeuntem ad certam victoriam sequi, ruebat in regio. Horum qui erant in cornu dextero, locum è vestigio proditione ducum deserentes, mediam aciem, cui præerat Imperator, ab eo latere aperiunt perduellibus. Ducebat sinistrum cornu Cassius eunuchus: adeo tamen perfidus senivir suos quo periculum vocabat non impulit, ut eos potius immotos, veluti in spectaculum alieni discriminis, contineret. Non erant qui hostium impetum sustinerent, nisi pauca peditum cohortes, quibus acies media constabat. In eam Julius cum irruisset, minaci voce, quasi jam victor, Imperatorem sibi tradi jubebat. Sed hominis temeritatem conspicatus miles gregarius, lapidem in os clamantis tam certo ictu direxit, ut ille confestim dejectus equo conciderit. Tum accurrens, jacentem acinace obstruncat, avulsumque humeris caput lætus ad Principem defert. Amisso duce, consternantur perduelles, & fuga salutem quærunt. Hærebat in agere immotus Abuna, seu stupore cladis, seu fiducia Sacerdotii. Eum ut vidit nobilis Orthodoxus, ratus gratam se Deo victimam oblaturum, si tam implacabilem veræ pietatis inimicum mactasset, adacta in collum lancea prostravit. Post eundem alii afflicti, & suo coopertum sanguine, spirantem tamen adhuc atque sentientem, usque ad intimam tunicam spoliaverunt. Postremo abscissis cervicibus misero ablatum est caput, positumque ante pedes Imperatoris. Hunc habuerunt vitæ, & consiliorum suorum exitum primi duo furialis belli concitatores. Aliorum non eadem fors fuit. Imperator sapienter existimans, civilis belli victoriam tanto esse lætiorem, quanto minus in ea sit cædis & sanguinis, multitudini parcere constituerat, eoque signum receptui dederat. Sed Principis clementiam vicit militum ardor. Fusos fugientesque ad plures horas infecuti,

129.
Perduellibus
obviam procedit
Imperator
cum exercitu.

130.
Defertur à
suis, proditio-
ne ducum.

131.
Dux perduellium
occiditur,
Abunæ caput
amputatur.

132.
Profligantur
rebelles, nullo
ex regis amisso.

ma-

133.
Curæ Imperatoris de subsidio militum Lusitanorum.

134.
Ejusdem litteræ ad Mutium Generalem de hoc negotio.

135.
Accipit a Philippo Rege promissa suis votis consentanea.

136.
Transferendos curat in linguam Æthiopicam utilissimos libros.

magnum eorum numerum partim occiderunt, partim vivos ceperunt. Regionum, quod vix credibile, nemo cecidit.

Lætus eventu prælii per quam secundo Imperator;angebatur tamen quod tam fluxam perspexerat suorum erga se fidem, dolebatque nondum advenire legionem mille Lusitanorum, quam a Philippo Rege pridem per litteras postulaverat. Videbat enim, nisi externo præsidio sibi firmasset imperii vim, frustra fore quæcunque ad frangendam factiosorum perfidiam susciperet, nec unquam planè consecuturum, ut catholicus in Æthiopia cultus resfloreferet. His de causis, cum accepisset super eo negotio litteras à Mutio Generali, videns quid ille apud Pontificem Maximum, & Hispaniarum Regem ad impetrandam, quæ dixi auxilia militum præstitisset, rescripsit ad eum paucos post dies in hæc verba, quæ ex Lusitanis latina facimus. „ Epistola Seltan-Seguedi Imperatoris Æthiopiæ reddatur P. Mutio Vitellefcho Generali Præposito Societatis Jesu, magistro magistrorum, qui hodie Apostolorum exemplo fidem catholicam per totum orbem disseminant. Pax Domini nostri Jesu Christi, qui pro nobis humiliavit semetipsum usque ad mortem, tecum sit Reverende Pater, & cum tota Societate Jesu. Quas Reverentia vestra ad me scripsit litteras mense Januario superioris anni MDCXVI., eas nunc tantum accepi ad nonas Julias, & maxima affectus sum voluptate, propterea quod cognovi, te cum Sanctissimo Pontifice, & cum fratre nostro Hispaniarum Imperatore egisse amanter ac sedulo, ut negotium illud conficeretur, jamdiu nobis optatissimum, & ad salutem hujus Imperii sempiternam, quam totis curare viribus constituimus, unicè necessarium. Pro ejusmodi officio agimus tibi ingentes gratias, hortamurque te etiam atque etiam, ut curare idem negotium quanta poteris maxima diligentia pergas, pro certo habens, nullam esse rem, quam in hac vitæ brevitate facere possis Deo gratiorem. Agitur enim divini Numinis gloria, & salus animarum, quæ ad multa millia pereunt in his regnis, peritura adhuc semper, ut oves devix, & pastore destituta, nisi in ovile Ecclesiæ catholicæ reducantur. Id porro efficere dignum est, reverende Pater, industria tua, & ad illos omnes pertinet, quibus salutis publicæ procuratio commissa est. Facies autem, ut spero, etiam nostra causa. Nos quippe Societatem tuam complectimur singulari benevolentia, hos vero quinque Patres in Imperio nostro desudantes, ut cœlestes Angelos colimus, & veneramur. Illud postremo rogamus Reverentiam vestram, ut propitiare nobis ac rebus nostris velit divinum Numen, curetque idem fieri in Societate universa. Multum enim vestris precibus & piaculis fidimus, iisque acceptum ferimus, quod, postea quam Patribus uti magistris cœpimus, & veritatem catholicam amplexi sumus, multa nobis prosperè præter spem, ac præclarè successerint. Hæc Imperator 111. Idus Julii. Quæ prius quam Romam perferrentur, cognoscere potuit, quam non temere in Rege Hispaniarum spem collocasset suam. Nondum enim annus exierat, cum accepit à Philippo Rege Catholico litteras suis votis maximè consentaneas. Significabat iis litteris Rex, curæ sibi esse pium ejus propositum, ac porro fore. Deditse jam in mandatis Proregi Indiarum, ut ubi primum ea provincia à Batavorum quievisset injuriis, mitteret in Æthiopicam subsidia militum, quæ poscebantur: nullam se denique prætermisurum rem, qua probatam illi facere suam voluntatem posset. Hoc nuncio, vix credibile quantum voluptatis ceperit pius Princeps. At voluntas intra spem se continuit: nunquam enim ea Regis mandata, ob temporum difficultates, peragi potuerunt.

Interim reputabat cum animo suo Imperator, quibus potissimum rationibus quamplurimos schismaticorum ad catholicas partes pelliceret. Multa agitantanti venit in mentem, opportunissimum fore, si Patres Societatis in linguam gentis transferrent aliqua divinorum voluminum commentaria, quibus Dioscori refelli posset impietas. Certè non defuturos, ajebat, qui ea legerent; contumaces autem postea quam ea legisent, veritatem amplexaturos facilius, quod illam videri possent studio ac labore suo detexisse. In clamoribus & publicis disputatio-

tationibus, non tam plerumque de veritate, quam de ingenio doctrinaque contendendi, & durum humanæ superbiæ accidere erroris, inscitiaque redargui ab adversario; ut etiam si victus sis, tamen videri nolis. Id incommodi libros non habere, in quibus veritas traditur sine factu, sine pudore discitur. Consilium probarunt vehementer Patres: et quamquam erant privatis publicisque curis adeo districti, ut agrè possent operi laborioso manus adicere, tamen materiam omnem inter se partiti, citius quam sperabant edidere commentaria Francisci Cardinalis Toleti in epistolam Pauli ad Romanos, itemque commentaria Joannis Maldonati in Evangelium Matthæi. Nec sui illos laboris ac vigiliarum poenituit. Excepti summa omnium, præsertim Monachorum, aviditate libri, toto quam celerrimè imperio volitarunt, ac lætæ semen fuerunt copiosæ messis, de qua suis infra locis dicendum erit. Hæc in Æthiopia.

At in Japonia asperiora fiebant omnia in dies. Non enim jam, uti prius, elanculum, & dissimulata fraude, sed aperta vi, ferroque, ac sanguine Imperator Christi nomen infectabatur. Unicus erat toto regno locus Nangafachium, ubi licebat Christianis impune degere: cum hoc tamen, ut capitale esset, siquis Sacerdotem ullum juvaret hospitio. Cum innotuisset Principi, multos ibi latere diversorum ordinum Sacerdotes, negotium dedit Omuræ Regulo, quippe ejus urbis acola, ut ad eos perquirendos accederet cum militibus, & quoscumque deprehendisset, in vinculis custodiret. Hæc vulgata fama, dilapsi plerique sunt, & per vicina loca dispersi, paucis exceptis, qui in ipsa urbe tutiores sibi latebras paraverunt. Ex Sacerdotibus Societatis proripuerat se Nangafachio P. Joannes Baptista Machadus, jussus à Provinciali Præposito in Gotum, insulam haud longe positam, properare. At illato vix pede in navim, ab amicis admonetur, nihil ipsi tutum in insula Goto fore: compertum ejus esse iter exploratoribus: imminere fugienti Omurensem. Hortantur propterea, ut cursum alio dirigat, vel Nangafachium repetat potius, ubi latebræ faciliores, ut in urbe amica, & populosa. Collegit tantisper se fortis Sacerdos, & consulto per precationem Deo, statuit non alio, quam quo jubebatur, divertere. Nihil temere ajebat fieri, cum sit quod imperatur: si veniret in hostiles manus, duplici potiturum se præmio, altero fidei, obedientiæ altero; nec vero melius posse ad martyrium, quam per iter obedientiæ pergi. Ita comparatus progreditur ad præstitutum locum, & in insulam exponitur Aprili mense. Postridie quam exscenderat, dum maxime poenitentem elata manu absolvebat, captus, deductus Omuram, & vinculis constrictus est. Tenebatur in eo carcere Sacerdos Franciscanus Petrus ab Ascensione, per eosdem dies similiter comprehensus. Is ut Machadum aspexit venientem, assurgens processit obviam novo hospiti, ac sodali, eum amantissimè complexus est. Hic invicem ad ejus pedes se abjecit. Certarum utrinque humilitate, & charitate tanta, ut id custodes carceris mirari satis non possent. Ambo deinde beatæ necis expectatione læti, maximas Numini gratias persolverunt, perstiteruntque hoc habitu mentis à die Pentecostes ad secundam usque feriam post festum Sanctissimæ Trinitatis, quæ suprema lux ambobus, & aditus ad beatam immortalitatem fuit. Quibus in squalenti ergastulo gaudiis P. Machadus afflueret, intelligi potest ex ejus litteris ad Societatis Sacerdotem conscriptis: „ O summam, inquit, Dñi benignitatem, qui tam leves famulorum suorum ærumnas tantis præmiis vel in hac mortali vita compensat! Hoc tibi, carissime Pater, confirmare possum, nullas rerum caducarum delicias, nullos honorum gradus, ac ne omnia quidem in unum collecta orbis terrarum imperia tanti esse, ut has catenas illis mutatas velim. Unum timeo, unum dolebo, si levioere quam pro votis meis cruciatu defungar. Jam dies quadragesimus est, cum totius corporis acerrimo dolore torqueor, quem parit carceris in media palude positi crassus aer, & soli putris atque uliginosi graveolentia. Ita increvit dolor, nullam ut quietis capere partem possim. Id vero in maximis Dei beneficiis numero, tantaque animi pace fruor, nihil ut me angat, præter peccata mea. Nunc, nunc demum assequi mihi videor vim illius Apostolicæ vocis:

„ *Cum*

137.

RES JAPONIÆ.
Perquiruntur
Christiani Sa-
cerdotes circa
Nangafachium.

138.

Comprehen-
ditur P. Jo. Ba-
ptista Macha-
dus in Insula
Goto.

139.

Carceri inclu-
ditur cum Patre
Petro ab Ascen-
sione Francisca-
no.

140.

Machadi litte-
ræ ex carcere
Omurano.

„

„

„

„

„

„

„

„

„

„

posse consecravit. Nullum deinde urgendi obsecrandique majores finem fecit, donec in Indiam, ac demum in Japoniam voti compos pervenit. Postquam gentis linguam edidicit in collegio Arimensi, Fuximã substitit aliquandiu, in urbe quondam regia Taicosamã, & Christianos earum partium pro Episcopo curavit. Inducto per Daifusamam fidei ministris exilio, remanendi potestatem, & latendi obtinuit. Plures annos exegit Nangasachii, quo tempore, cum esset ab ætate ac viribus multum valens, Parochi munus ita gessit, ut solus multorum instar esset. Nunquam illi visa dulcior Japonia, nunquam pulchrior, quam cum asperiores, & periculis, exiliis, ærumnis horridiores experiri cœpit. Magna illi salutis alienæ, nec interrupta cura, major suæ. Obedientiam humilitas, humilitatem patientia, hanc castimonia singularis ornabat. Ejus vitæ mortisque laudes brevi elogio complexus est P. Balthasar Torres, cum scripsit, obiisse Machadam instar Martyris, instar Angeli vixisse. In eorum numero, quos verbis exemplisque Christo peperit, Tomonangã Girobioi clarissimum nomen, & spectatissima virtus fuit. Is, qui Christianorum acerrimus hostis esset, nuncium subeundæ mortis Machado attulit. Verum ita immutatus est ejus cohortatione, ut qui nunc poenæ erat exactor, imitator sexto post mense fuerit, eadem causâ damnatus. Multa narrant litteræ a Machado prædicta divinitus, præsertim cum jaceret in vinculis, ubi adeunt subinde Neophytos, licet nunquam antea visos, neque cognitos, compellabat nomine, & siquidem retinerent fidem, collaudabat; sin ab ea excidissent, licet perfidia ipsorum nulli nota foret, acriter objugabat. Palmam est consecutus vir præclarus xi. Cal. Junii, anno ætatis trigésimo septimo nondum expleto.

Sperabat Omurã Regulus, hac duorum Sacerdotum cæde finem habituras Christianorum molestias, idque porro cupiebat. Vir enim mitiori ingenio, & olim Christo initiatus, agrè saviebat contra Christianos, acceperatque immitem procuracionem invitus, ne suis ditionibus spoliaretur. Et jam, ut satis superque regiis perfunctus mandatis, profitebatur, nihil esse præterea quod contra Sacerdotes Christianorum ageret, nec sibi deinceps curæ fore, quibus illi in locis morarentur, modo ne darent se in publicum, neu strepitum ederent, Quod nili quosdam nimia, si fas ita loqui, martyrii cupiditas incendisset, spes erat non vana, affore brevi pacatiora, nec diram infestationem ultra progressuram. Sed gemini herois quam dixi victoria multos amulatione succendit. Nondum tertius exierat ab eorum nece dies, cum Alphonfus Navarretus, & Ferdinandus à S. Josepho, religiosi Sacerdotes, hic S. Augustini professus institutum, ille S. Dominici, relictis latebris, & populari qua se occultaverant veste, induunt amictum sui quisque ordinis, & in publicum prorumpunt; confectoque raptim facello in conspectu Omuranæ civitatis, rem divinam faciunt, conciones habent, sacramenta palam Christianis concurrentibus administrant. Rex Omuræ, spreta sic edicta Imperatoris furens, & sibi male timens, si ille resciret talia Sacerdotes esse aulos in territorio suo, inspectante, & quasi approbante se, volentes, occurrentesque ultro licitoribus comprehendi, & gladio percuti jubet. Socium illis, & consortem gloriosæ necis addit Leonem nescio quem, juvenem virtutis eximie, qui operam navare solitus P. Machado, cum eoque captus, quamvis daretur facultas fugæ, mori maluit, quam Christi cultum vel in speciem abjicere. Tum ne deinceps Christianorum concursus ad Martyrum sepulchra fierent, projici in mare jubet casorum corpora, eorum etiam, quos tri-duo ante necatos dicebamus; & quidem sic, ut in uno loculo componeretur Navarretus cum Machado, in altero cum Petro ab Ascensione Ferdinandus à S. Josepho. Arca oclusa longius a littore deportata fuerunt, & in mare dejecta adeo latenter, ut è Christianis nemo sciret. Tamen, ut fors tulit, pia fidelium vota ex toto elusa non fuerunt. Quæ enim arca inclusum habebat cum Petro Ferdinandum, solutis nescio quo casu retinaculis, quibus saxo fuerat alligata, ultro emergit haud multo post, exceptaque a præternavigantibus Christianis, infertur Nangasachium, & cum honore conditur.

T. I.

Q

Post

145.
Capitalis poenæ nuntius ad Christum convertitur.

146.
Recrudescit persecutio ob nimium ardorem quorundam religioniorum.

147.
Capiuntur alii duo, & gladio feriuntur cum egregio juvene.

148.
Casorum corpora in mare dejecta præter spem inveniuntur.

149.
Aliud par religioforum comprehenditur in territorio Omurano.

150.
Nostri tantum illorum ardorem non probant, & rem agunt cautius.

151.
Dire vexantur Christiani in regno Fingi.

152.
Nobile martyrium Joannis Girobioi in regno Chicungi.

153.
Alii quatuor Christiani perimuntur Yedi.

Post hæc speranti adhuc Regulo Omurensi, cautius acturos in posterum, Sacerdotes, seque tandem a tam tristium judiciorum functione exemptum iri, nuncius affertur, advenisse in Omurensem tractum alios Religiosos tres, versari in omnium oculis, Christianorum crebros conventus apud eos fieri. Exarsit eo nuncio supra quam dici possit Regulus, & atrocia quæque prænuncians, se quidem posthac, non ut antea remissum & incuriosum imperiorum suorum exatorem fore dixit, sed rigidum, ac prope immanisuetum: misitque è vestigio satellites, qui tres illos in vincula raperent. Erant duo ex sacro Prædicatorum ordine, tertius Franciscanus. Sed cum apparuerunt listores, diffugerat unus ex prioribus. Itaque duo tantum in carcerem contrusi fuerunt, adjunctis tamen sacri ministerii comitibus & adjutoribus quatuordecim. Eodem tempore Gubernator Nangafachiensis duos necat indidem cives, Gasparem, & Andream, propterea quod religiosi hospitium præbuisent; octo autem patres familias in custodiam conjicit eo tantum nomine, quod domum habentes hospitibus illis Religiosorum conjunctam, de Religiosis tam proximè habitantibus ad Magistratum non detulissent. Ita sensim crudecebant res, iræ fomitem præbente paucorum ardore immodico, qui *abundantes in sensu suo*, nec forte conditionem temporis satis perspectam habentes, consultius putabant impia Tyranni iussa contemnere palam & infringere, quam qualicumque obedientiæ speciem illum placare. Nostri contra, tametsi ignaviæ redarguerentur, sanioris esse consilii existimabant sui ordinis ministeria clanculum, & cautè peragere, ne aperto legum contemptu Tyrannum irritarent gravius, & rem summam in discrimen adducerent. Nec illos unquam poenituit in hac re speciosis tuta prætulisse.

Talia dum gerebantur circa Omuram, alii quoque per Japoniam Reguli Christianos non leviter exercebant. Cangani in regno Fingi plures erant Christianorum familia. His ad defectionem sollicitandis Regulus ferox, non viros, quorum invictam sciebat esse virtutem, sed uxores, & liberos, partem scilicet eorum molliorem carioremque, abstrahere in carceres, & exagitare crudeliter coepit. Sed vicit naturæ necessitudines Christi charitas, nec, præter paucissimos, quisquam prostratus est. In regno Chicungensi præclarum fidei testimonium dedit Joannes Tomonanga Girobiojus. Is ille est nobili in primis genere natus vir, & belli dux egregius, a quo denunciatum Patri Machado supplicium supra docuimus. Missus à Rege apparitor necem constitutam nunciaverat Girobiojo, si Christianus esse pergeret. Ipse apparitori, & Regi gratis prolixè actis, in interiorum ædium partem secedit, & cruento flagello sese per dimidiam horam diverberat. Sic victimam sacrificio præparabat. Inde lautissima in veste progressus, uxorem Catharinam valere postremum jubet. Læta viri forte mulier, & mœrens sua, optabat socia necis esse, quæ fidei & pietatis fuerat, nec dolebat quod moreretur maritus, sed quod ipsa vivere cogereetur. Girobiojus interim, dum plangentes amicos novissimis affatur verbis, ethnicum conspexit, à quo fuerat haud ita pridem offensus graviter. Salutat illum amicè, amplectitur, veniam dat, petitque. Postremo palam contestatus, multa se habuisse Regis beneficia cum viveret, sed nullum tanti facere atque illud ultimum, quo moriens cumulabatur, genua flexit, cervicem carnifici obtulit. Decisam generosa uxor sustulit, & capiti reverenter imposuit suo, lacrymis, quibus ubertim manabat, non se flere distitans viduitatem suam, sed viro triumphum gratulari. Parabat satelles avehere corpus, aut abjiciendum in mare, aut secreto aliquo loco infodiendum. Sed Neophyti, consilio & astu usi, pro sarcophago arcam supposuere arena oppletam, cadaver vero ipsum exportarunt procul, ac postea Nangafachium transmiserunt. Par genus supplicii, nec minore animi magnitudine subierunt Yedi, quæ urbs erat Imperii sedes, quatuor Neophyti insignes, Vincentius, Aloysius, Thomas, & Laurentius. Sed longum esset acta singulorum referre. Unum dico, non alia fuisse causa damnatos, nisi quod vexatos Christianos ad perferendas fortiter quascunque pro Christo arumnas voce & exemplo animaverant. In regno Bungi P. Petrus Na-

var-

varrus, ne quis sua causa periclitaretur, in saltum secesserat, ubi antrum natum subterraneum, inter vepres dumosque silvestres latebat. Erumpebat tamen identidem, ac præter eam opem, quam remotioribus Neophytis afferebat per litteras, proximiores adibat ipse coram, solabatur, confirmabatque. Ignatius quidam, raræ admodum pietatis vir, contempto capitis sui periculo, illum apud se occultum habuit aliquandiu. Quater propterea ad tribunalia raptatus fuit: sed ea dedit constantiæ documenta, ut tantam in uno homine perire fortitudinem Judices non permiserint. Quocirca damnatum jam, & mori gestientem capitali supplicio exemerunt.

Hæc in ea parte Japoniæ, quæ *Ximus* à Lusitanis dicta, una est trium insularum, quibus totum illud imperium continetur, & venientibus ab occidente prima conspicitur. In duabus reliquis, etsi minor erat Christianorum numerus, eos tamen operarii Societatis haud minore labore suo, & periculo excolebant. P. Joannes Baptista Porro octo ferè, vel novem tetrarchias (regna vocant Japonæ) solus curabat, in quibus acerbæ quæstiones de Christianis exercebantur, multosque contra omnem acerbicatem immotos lætus vidit. In urbe Fangii septem milites de cohorte prætoria, in jus vocati, jubebantur cum acerbis minis cultum mutare. Cum recusarent jussa facere, exuti suis omnibus, coactique sunt cum liberis & conjugibus solum vertere. Illi poena sua læti in exilium abierunt. Fuit in alio ejusdem ditionis oppido mascula fortitudinis femina, quæ quærentibus Reguli apparitoribus, num quos sciret ibi esse Christianos? esse respondit. Jussa edere singulorum nomina, se primam, deinde virum, & liberos communes duos nominavit. Vinciti ob eam causam omnes, beatæ mortis gloriam avidè præstolabantur; sed post diuturnum carcerem, mitigata tantisper persequentium acerbicite, dimissi sunt. In majore Insula, quam indigenæ vulgo appellant *Nippon*, Christianorum plerique suis ejecti sedibus, & bonis omnibus spoliati, vix habebant quo se reciperent. Vagantes per nemora, aut in ferarum speluncis abditos, magno labore, & per sexcenta vitæ pericula perquirebant, solabanturque Patres Balthasar Torres, Emmanuel Barretus, Benedictus Fernandez, & Didacus Yuqui, quorum primus Sacai, Ozacæ alter, postremi duo Meaci sedem fixerant. His nequaquam contentus finibus P. Didacus Yuquius, peregrinationem suscepit ad nobiles Christi athletas ferè centum, quos ante triennium Daifusama fortunis everfos Tzugaram relegaverat, meram solitudinem, & extremum Japoniæ terminum ad orientem solem. Eo per confragosa, & inaccessa rupium juga, per tesqua horrida, per loca tantum Apostolicæ charitati pervia penetravit Sacerdos impavidus, spretis vitæ periculis, quæ plurima objiciebantur, non tam ex natura locorum, quam ex portitorum, coactorumque regionum vigilantia, qui montium fauces omnes angustiasque obsidentes, prætereuntium sarcinas, & ipsa prope viscera scrutantur, prædones verius, quam publicani. Neque solum ex eorum manibus feliciter elapsus est Yuquius, verum etiam, quod multo insignius, secum detulit sacrum divini sacrificii instrumentum, quo uno maxime solatio præclari exules indigebant. Gente enim Japon, popularium Philosophorum indumento rectus, nihilque peregrinum ore, lingua, incessu præferens, nullam stationariis militibus suspicionem movit. Tzugaram ingressus, dubites majorem ne lætitiæ piæ attulerit turbæ, an vicissim ab ea acceperit. Multum certè lacrymarum hinc atque inde fufum. Opus ruri faciebant beati exules, viri pariter ac femina, cum plebe permixti nobiles. Erant æstu ac frigore perusti omnes, annona, vestibus, commodis vitæ omnibus destituti, una divites, & læti patientia. Vitæ genus instituerant dignum plane Christi discipulis, tam triste exilium ejus causa patientibus. Quotidiana illis jejunia, frequens flagrorum usus, preces ad multas horas in communi productæ. Noctes ex magna parte infomes transigebant, de Christianæ professionis officiis inter se colloquentes, tunc maxime beati, si paganorum aliquem erudire, & lucrari Christo contingeret. Una modò res deerat ex omnibus optatissima, Sacerdos à quo expiarentur, & sacro

To. I.

Q 2

epu-

154.
Patris Petri Navarri pericula, & labores in regno Bungi.

155.
Christianorum arumnae, Patrum labores in aliis Japoniæ partibus.

156.
P. Didacus Yuqui Tzugaram pervadit, ut Christianos ibi exulantes confoletur.

157.
Quam piè viverent Christiani in eam solitudinem relegati.

epulo impertirentur. Id nunc præter spem affecti, triumphare gaudio, se felicissimos prædicare, nullum finem agendis Deo gratis facere, à quo tam dulce in speratumque solatium accepissent; Sacerdotem vero ipsum, non ut hominem, sed ut coelo missum Angelum intueri.

158.
Quinque ibi
Christiani vivi
comburentur.

Duo erant ex eo numero coniecti in carcerem, propterea quod tres ethnici fidei rudimentis imbutos baptismo initiaverant. Singulos adiit P. Didacus, sacris recreavit, ad mortem, si fortè irrogaretur, fortiter perferendam accendit. Et verò irrogata est, sed non illis tantum. Nam cum Præfectus regionis facti relationem misisset ad Imperatorem, rogans quid his fieri vellet; responsum est, duos quidem exules facti auctores, vivos esse comburendos, tres vero reliquos recens baptizatos, interrogandos, & siquidem Christi fidem profiteri pergerent, eadem poena multandos. Quibus acceptis mandatis, Præfectus tres ad se vocat Neophytos, & si modo à Christi cultu desciscant, victuros Regis beneficio docet. Abominati flagitium viri fortes, negant se facturos, subire damnationis sententiam malunt. Placuit experiri, num charitas liberorum flecteret, quos non flectebat supplicii metus. Introducuntur filii parvuli, tendentes manus, & miserabiliter ejulantes. Nihil eo spectaculo parentes infracti sunt. Quod ergo unum supererat, simul omnes ad rogam producuntur, capita omnino quinque. Duo exules alumni olim fuerant Societatis, in Meacensi seminario educati. Alteri nomen Mathias, Leo alteri. Mathiæ conjux erat Anna, ornatissima femina, quam vir cum habuisset exilii comitem, dolebat secum tacitus, quod non etiam beatae mortis sociam haberet. Vicissim hæc ægerimè ferebat à carissimo divelli sponso, quicum vixerat studio pietatis conjunctissima. Judicis ad pedes procidit, mortem orans, aut beneficii loco, ne virum desereret, aut poenæ, quia pariter ut ille Christiana. Exoravit, & quinque martyribus sexta accessit. Perstiterè beatae victimæ mediis in ignibus duas horas, nullo edito doloris signo: quod constantiæ documentum in illo ultimo orbis angulo adeo simul novum, & mirabile accidit, ut id ethnici tanquam aliquid humano majus prædicarent. Hinc divina lex, quæ illic antea duntaxat è Christianorum moribus integerrimis nota erat, celebrari latius cœpit, ex eoque incendio majorem in modum eluxit. Contigit tam illustre martyrium pridie Nonas Augusti, quo tempore Tzugara jam digressus P. Didacus, aquilonaria majoris Insulæ regna percurrebat, dispersis per ea loca Christianis sacra circumferens. Idem interea munus strenuè obibat P. Hieronymus de Angelis qua felatè porrigit regnum Voxuanum, eoque faciebat liberius, quod regionis istius Regulus nondum quemquam religionis causa vexabat. Sed jam ibi quoque ardor fidelium apertius se effundebat interdum, quam tempori congrueret, imminabatque, ut in cæteris Japoniæ locis, atrox procella, & vehemens, quam in loco

159.
Mulier fortissi-
ma adungi ma-
rito suo combu-
rendo impetrat.

160.
Omnium con-
stantia admi-
rabilis in mediis
ignibus.

161.
Labores P. Hie-
ronymi de An-
geli in regno
Voxuano.

162.
Acta in Cocin-
cina. Adveniunt
PP. Petrus Mar-
ques, & Chri-
stophorus Bor-
rus.

163.
Vix appulsi co-
gnoscuntur, &
deponuntur ad
eandem.

Progredimur nunc in Cocincinam, ubi anno superiore exagitatam seditio-
ne populi Societatem, religionem eversam, Patres in exilium actos videbamus.
Pervaserat harum rerum infaustus rumor ad nostros Macaum, quo tempore vela
factura erat in Cocincinam navis Lusitanorum onusta mercibus. Cum videretur
opportuna occasio, navim eandem conscenderunt nostrorum sacerdotum duo,
Petrus Marques Lusitanus, & Christophorus Borrus Italus, & in Cocincinam
pariter navigaverunt, ut ejectorum locum occultè occuparent. Proceffere tam-
en vestito nautico tecti, ut omnis Cocincinensibus eximeretur suspicio. Post sa-
tis prosperam navigationem, subierat jam Turoni portum navis, jam ex Cocin-
cinenfibus plurimi ad merces pro more coemendas convenerant. Cum oritur in
ipsa navi rixa, & altercatio vehemens inter Lusitanos. Stringuntur hinc inde
gladii, minis omnia, jurgiis, & incondito clamore perstrepunt. Ad tumultum
accurrerunt Patres, eorumque aspectu ipso, nedum voce, & objurgatione,
compositi momento animi mitigatique sunt. Enim vero mirari Cocincinenses,
duorum nautarum presentia nutuque tantam contentionem derepente compres-
sam: suspicari, ac mussitare inter se, nequaquam hos, ut vestis indicabat,
nau-

nautas esse, sed Sacerdotes, qui regiis edictis legibusque contemptis, in Cocincinam inferre se denuo moliantur: deferendos ad Regem, supplicio afficiendos. Hæc altius jam, & apertius vociferantes, Regem adeunt, & militarem manum poscunt. Sensere periculum nostri, ad omnia paratos se superis obtulerunt: utque conspectiores caderent, deposito cultu alieno, vestem Societatis induerunt. Ecce autem, dum tota civitas tumultuatur, decidere subito largus imber, natate campi, magna spes fertilitatis ostendi: quæ cum res esset optatissima, & multos menses frustra expetita, ut mobile ac superstitiosum est vulgus, conversi momento sunt omnium animi. Jam non Patres ad cædem deposcere, sed magis gratulari sibi eorum adventum, quasi faustas secum pluvias, & uberatam annonæ attulissent. Simul exprobrare calumniam Bonziis, qui jactarent, negatum fuisse à Diis imbrem, ob acceptos in Cocincinam Christianæ legis magistratos. Falso hæc dici affirmare: siquidem insectum antea cœlum duos vix advectos Macao Patres gratissimo copiosa pluvie dono veluti salutaret. Movit in primis Regem hæc ratio, ejusque pristinum erga nostros amorem, non renovavit modo, sed vehementius accendit. Subiit etiam metus, ne, si excluderentur Patres, suas Lusitani merces alio transferrent. Itaque, ut invecam in portum navim lætus audierat Rex, ita ab Præfecto monitus, commercium stare nullo pacto posse, nisi Patribus copia fieret pariter veniendi, non solum veniendi deinceps in Cocincinam, verum etiam sui modo conveniendi potestatem fecit. Eos autem ut vidit, partim accusavit sese, partim excusavit, quod eorum sodales anno præterito tractasset durius, quam ipsorum virtus, & suus amor ferret. Sed quidquid in eo male est factum, benefactis, inquit, compensabimus. Licebit vobis in regno meo consistere, templa moliri, Christianis initiare sacris quoscunque, & ubicunque liberit. Cum respondissent, unum id sibi in votis esse, pollicitus ultro plura, si plura peterent, eos benignè dimisit.

Priusquam hæc agerentur, Patres, quorum superiore libro exilium, & arumnas demonstravimus, opem & solatium habuerant unde minime expectabant. Gubernator Pulicambis (est ea Cocincinæ regio versus austrum) in aulam ad Regem salutandum profectus, cum audisset de illorum eruditione, probitate, & exilio, indignum ratus viros tales, tam levi de causa, tam male acceptos fuisse, miserat qui iisdem à se nunciaret, si venire in suam provinciam vellent, tuto futuros in posterum apud se, nihilque ad vitæ usum desideraturos. Quam viri liberalitatem accipiens P. Buzomius, quamquam gravi esset oppressus morbo, ad eum statim contenderat cum uno ex duobus Fratribus rei domesticæ adiutoribus, relicto Patre Pina, qui cum Fratre altero clam abiit Faifonem, urbem Turono proximam, & coloniam Japonum. Buzomium hæcenus Gubernator domi suæ detinuerat, curaveratque benignè admodum, & humaniter. Nunc autem placatum audiens Regem, revocatum exilii edictum, alios in Cocincinam advectos Patres, eos omnes ad se trahere conabatur. Domum, templum, & vectigalia prolixè offerebat. Obstabant Christiani Japones, qui cum frequentes Faifone degerent, vel in exilium ob Christi fidem pulsi, vel sponte propter acerbiter temporum profugi, unum aliquem ex nostris enixè deposcebant, quo sacerorum ministro uterentur. Post multa utrinque jactata, relictus est Faifone P. Marquesius cum uno Fratre. Reliqui Pulicambim, quippe latiore agrum, incultioremque, petierunt. Iter dierum duodecim confecere, partim ornatissima triremi ad hunc unicè usum missa, partim elephantis magnificè instratis, stipati equitum peditumque lecta manu. Ut ventum est Nuocmanum, urbem Gubernatoris sedem, regium in morem excepti fuere, mirante populo, ac palam disceptante, excellentes quosdam viros esse, & magnis de rebus acturos venisse, qui sic exciperentur. Alebat hanc famam Gubernator, prædicans doceri ab iis divinam legem: beatos, qui eos audirent, fore: contra miserrimos, & salutis expertes, quicunque morem iis gerere detrectarent: præiturum porro se, ne quis præeuntem sequi dubitaret. Quibus dictis consensere ab initio facta. Tradita Patribus ad habitandum apta domo, nullum intermittebat diem Gu-

164.
Pluvia repente decidens populorum iratum mitigat.

165.
Rex potestatem facit Patribus Christianam legem propagandi.

166.
Pater Buzomius perhumaniter habetur à Gubernatore Pulicambensi.

167.
Plerique Patres Nuocmani confidunt in Pulicambensi provincia.

168.
Uno die tem-
plum struitur
Nuocmani. E-
jus fruendi mi-
rabilis ratio.

169.
Gubernator ba-
ptizari differens
moritur sine ba-
ptismo.

170.
Patrum dolor,
metus, & peri-
culum, ex mor-
te Gubernato-
ris.

171.
Uno periculo
exempti, aliud
incurrunt, & si-
militer liberan-
tur.

bernator benevolus, quin eos adiret, unicè anxius, ne quid ipsis deesset, ne quid noceret. Ut Christianæ legi, ejusque Præconibus venerationem, & studia populi conciliaret, sæpe debitas reis pœnas, eorum deprecatione, aut remittebat omnino, aut mitigabat. Locum excitandæ ædi sacræ assignaverat in frequentissima urbis platea, prope domicilium Patrum. Descripto templi ambitu, adest post triduum nuncius, advenire templum. Conturbavit Patres rei, sermonisque novitas. Progressi ad januam, vident hominum ingentem turbam, (milleni facillè numerabantur) onustam omnibus templi partibus, jam dedolatis probè, & ubi essent dispositæ, inter se aptè cohæsuris. Hi columnas portabant, illi columnarum capitella, alii bases, alii tabulas murorum loco futuras; nam omnia Cocincinensium ædificia è ligno constant. Singulas columnas, quibus tota moles, propter autumnales eluviones, imponenda erat, humeris deferebant homines triginta robustissimi. Alia ædificii membra comportabant plures, paucioresque, ut quæque moles erat. Statim atque processerant in aream rite metatam, & idoneis ad ponendum templum fundamentis instructam, sua singuli onera deponabant humi, & in iis consistebant. Mox ab Architecto, qui formam operis totius gerebat in tabula descriptam, evocati nominatim, columnas, trabes, epistylia, zophoros, tigna, designato in loco statuebant. Uno die, ac tumultu nullo, stetit structuræ compages suis numeris absoluta.

Ex his rerum initiis læta omnia præcipiebant animo Patres, cum maximè viderent, confluere ad novam ædem populum; Christi doctrinam audire avidè, baptismum certatim postulare. Solus cunctabatur, qui se præriturum cæteris spondederat, Gubernator. Morantem Deus, immisso repente gravi morbo, visus incitare velle. Verum ille de baptismo quamprimum suscipiendo monitus, etsi nihil se malle diceret, dum componendis domesticis negotiis primas curas impendit, correptus repentina phrenasi, & de mentis potestate dejectus, interiit. Miser, qui inter Christianorum Sacerdotum manus decessit ethnicus, tantoque luctuosius excidit ab æterna vita, quanto absuit propius. Ingens nostros incessit dolor, non modo propter exitium viri tam bene de ipsis, & religione meriti, verum etiam quia eversam videbant spem, in quam adducti non temere fuerant, Christianæ rei ejus exemplo ac patrocinio in tota Cocincina constituendæ. Trepidantes, & anxios, gravior præsentiorque metus perculit, occasione ridiculæ cujusdam consuetudinis, de qua ita reperiebam. Mos ibi est in funere virorum principum, ut exquiratur eorum necis causa, non physica illa & naturalis, quam ars medica vestigat, sed alia quælibet, quam superstitione comminiscitur. Huic examini, & cognitioni præsumt Onsai, Sacerdotes gentis. Cum inter illos de causa convenit, tum imperant, ut eidem rei, cui mortem Principis assignarunt, quæcumque ea tandem sit, ignis injiciatur. Nihil videbatur proclivius, quam ut infesti Patribus Sacrificuli in eos causam publici doloris conferrent, imputarentque ipsis mortem Gubernatoris: quod si facerent, actum omnino de nostris erat. Et jam huc multorum inclinabant sententiæ. Cum subito assurgens senior Onsajus, præcipuè inter suos auctoritatis, non aliunde repetendam esse causam dixit, quam ex vitiosa trabe, quæ ante paucos dies in palatio Gubernatoris conciderat. Quove minus dubitetis, inquit, recordamini, vim morbi graviolem capiti Principis incubuisse. Funesta trabs carum oppressit caput: illa vos ultores sentiat. Assurgunt omnes his dictis, & arreptis facibus, trabem cum ipso palatio, & omnibus ornamentis comburunt. Liberati tanto periculo Patres, gratias egerunt superis, miseræ gentis cæcitate doluerunt. At ecce tibi haud multo post novum ex inopinato discrimen. Intererant solemnibus quibusdam epulis Patres, cum magna Procerum corona. Dum captant occasionem insinuandæ religionis, incidit sermo de animarum post mortem statu. Hic aliqui sciscitari, quid factum putarent animæ Principis recens mortui? Plenus periculi erat locus. Si damnatam sempiternis ignibus dixissent, vocem procul dubio luissent necesse: ea Gubernator vixerat probitatis & justitiæ fama. Responderunt, nisi quis renatus sit ex aqua, & Spiritu Sancto, salvum esse neminem.

nem. Tamen, quæ Dei benignitas est, baptismi desiderium efficax satis ad salutem esse, si quis ipso potiri sacramento non possit. Porro facile se adduci ut crederent, Gubernatorem, pro eo quo flagrabat christianæ legis studio, ejusmodi desiderio non caruisse. Sic invidiosam interrogationem prudenti responso eluserunt, non sine commendatione divinæ bonitatis, quæ tot, tamque faciles vias mortalium saluti aperiret. Caterum parum jam apud gentem superstitione obstrictam proficiebat Patrum industria & labor. Illudebant illis impune falsorum numinum cultores, quippe orbatis potenti patrono, & peregrina doctrinæ novitatem objectabant: cumque assignatum à Gubernatore vectigal pensitari desisset, in summas rei familiaris angustias brevi conjecti sunt. Ut ex his postea malis emerferint, ut agri sterilitatem exceperit lata fertilitas, suis infra locis differemus.

Dum his jactabantur nostri fluctibus in Cocincina, multo gravior in Sina tempestas exorta est. Sensere nunc demum Patres, quam non temere eos Matthæus Riccius subinde commoneret, ne putarent unquam se satis firmas jecisse radices in Sina, neu crederent invidiam peregrinitatis sic posse decursu temporis opprimi, ut non etiam excitari iterum, & facile posset. Ut multum diligi viderentur, ut scientiæ ac probitatis opinionem haberent, ut florerent splendidis potentiorum familiaritatibus, quamvis demum sedem illis, & domicilium Magistratum indulgentia permitteret; nihil obfuturum quin exulare cogerentur, si modo unus quisquam appellasset legem de peregrinis non admittendis. Sanctissimam esse genti legem, tanquam ea in una Imperii salus, & felicitas publica contineretur. Ad eos pellendos satis in uno Mandarinorum potestatis fore, nihil in reliquis ad retinendos. Hæc sæpe nostris hominibus inculcabat vir rerum atque institutorum Sinenfium scientissimus: quæ quam certa ratione dicerentur, nimio plus præfens annus ostendit. Res quemadmodum gesta sit, quam brevissimè potero exponam. Nankini christianam curabat rem, præter alios, P. Alphonfus Vagnonus, operarius ille quidem utilis, sed in quo desiderares, ut esset paulo timidior. Oblitus enim Riccii mandatorum, elatusque secundo religionis successu, jam non, ut institutum ab initio fuerat, cautè cunctanterque, sed luce palam, ac liberè rem gerebat: quodque gravius, Bonziorum nationem impiam exagitabat, vitia eorum perstringens acriter, odia contemnens. Irritati Bonzii, tanto urebantur vehementius, quanto veriora esse sentiebant, quæ obiciebantur. Iram tamen, & moerorem dissimulabant improbi, potentium Mandarinorum metu, qui Patribus, & Christianæ legi impensè favebant. Accidit ut tribunali rituum Nankinensi præficeretur Xinus, Mandarinus præpotens, & Sinicis religionibus addictissimus, qui cum Christianos omnes oderat pessimè, tum vero Patribus exitium jamdiu moliebatur. Hoc suum tempus, hanc occasionem rati Bonzii, querelas ad eum suas deferunt. Querelas pronis admittit auribus Xinus, nec sprevit munera. Conscribit ingentem contra Patres libellum, & offerendum Imperatori per amicos curat. Accusationis capita hæc erant. Patres regnum ingressos contra Sinarum leges, quæ externos homines excludant, doctrinam pestilentem spargere, Deos patrios templis & aris deturbare, convellere vetustissimas consuetudines, debitam mortuis, parentibusque pietatem irridere: Conflari ab iisdem cœtus periculosos, conscribi pene justos exercitus, communi crucis tessera signoque colligatos: Tentari multitudinem auro, cujus concipiendi quæstuosam habeant scientiam: Litteratos nescio quibus exoticæ doctrinæ nugis allici, & capi: Denique id eos moliri, ut cum plurimos in sua jurare verba coegerint, certam Imperio toti perniciem inferant, & rem Sinicam ad externos trahant. Hunc libellum Mandarinum Christiani, quorum in manus nescio quo pacto venerat, refutarunt, Imperator silentio damnasse videbatur. Post tres fere menses, cum responsum nullum à Rege fieret, Xinus ea re non deterritus, quin pudore magis incensus, alterum atrociorum scribit, in quo pauca præfatus de manifesto, ut aiebat, Imperii periculo, rogabat Imperatorem, sibi ut liceret uti potestate, quam suum ipsi munus, & leges dabant. Libellus

ut

172.

Parum fructuosè laborant, & multis constitantur incommodis.

173.

RES SINICÆ.

Tempestas atrox excitatur Nankini. Quæ fuerint causæ.

174.

Xinus libellum mittit ad Imperatorem contra Patres.

175.

Regi nihil respondenti libellum alium atrociorum offerri curat.

176.
Imperatore fi-
ente, decerni-
tur Patrum exi-
lium.

177.
Patrum consilia
Nankini. Milii-
tes immittuntur
in nostras ades.

178.
Cujusdam senis
Christiani vir-
tus, & fides me-
morabilis.

179.
PP. Vagnonus
& Semedus, &
Fr. Sebastianus
Fernandez, in
carcerem abdu-
cuntur cum aliis
decem.

180.
Pronunciatur
exilii sententia
contra Patres.
Levior hæc vi-
detur poena Xi-
no.

ut in Principis manus certius veniret, scribit eodem tempore Pekinum ad Praesidem supremæ Curia, rogans per amicitiam, ut eum Imperatori quæ impri- mum offerat, & idoneum pro negotii gravitate responsum impetret. Actum, quippe esse de sua auctoritate & fama, actum de salute publica, si tacere per- gat Imperator, & in Imperii, ac religionis exitio connivere. Praeses, & amici causa, & suo privatim in Christianos odio inflammatus, libellum Xini tradendum Imperatori curat. Addit appendicis loco novas gravioreque calumnias: Ita supplicare supremam rituum Curiam, ita velle ipsa Numina, quorum res ageretur. Denique instar clausula subdit, se silentium Principis pro consensu & mandato interpretaturum. Ejusmodi clausulam vel non vidit, vel non moleste tulit Imperator. Cumque nihil responsum daret, Praeses libellum tanquam ab eo approbatum continuò significat Xino, & reliquis provinciarum Praefectis, singulis præcipiens Imperatoris nomine, ut externos homines, & christianæ legis Doctores, ubicunque fuerint conquisitos, e regni finibus jubeant exportari.

His mandatis nihil usquam gravius consultum est contra Patres, nisi Nankini, ubi rerum potiebatur Xinus. Cæteri enim provinciarum Praefecti, tum quod sciebant Regem nihil in ea causa pronunciasse, tum quod Patrum innocentiam perspectam habebant, nihil movendum censuerunt. Totus in Socios Nankinenses incubuit turbo. Erant ibi, præter Vagnonum, tres nostri Sacerdotes, Nicolaus Longobardus, Alvarus Semedus, & Julius Alenius. Viri fortes, re cognita, primum omnium se paratissimos ad omne discrimen superis obtulerunt, iisque causam Christianorum enixè commendaverunt. Deinde commune periculum ita partiti sunt, ut Longobardus, & Alenius properè proficiscerentur Pekinum, malo remedium, si qua possent, quaesituri; Nankini vero remanerent Semedus, & Vagnonus, ne si excederent, sua conscientia damnati viderentur, præberentque adversariis ansam illata crimina conrmandi. Fugam suadebant amici, infesta omnia denunciantes à Xino, qui armatus nomine & mandato Imperatoris, ad extrema omnia prorumperet. Sed quocunque suo periculo remanere maluerunt, quam cum ignominia, & bonorum offensione locum deserere. Ecce autem haud multo post, nocte intempesta, adest militum cohors, ades nostrorum cingit, Vagnonum, qui nominatim fuerat in libello appellatus, comprehendit. Ubi primum hæc in vulgus manavit fama, multi, quibus Patrum nota probitas, eorum dolere vicem. Christiani complures eandem sibi sortem deponere, pati cum iis, & mori pro Christo velle. Præcipuam admirationem movit honoratus senex, qui, ut audivit Patrum ades obsideri, accurrit ad eas celeriter, manu libellum præferens, ubi suæ fidei professionem literis majoribus exaraverat, obtulitque se satellitibus; quærentibus autem quid infortunii quæreret in illa domo, venisse se respondit, ut Christianus cum Patribus Christianorum moreretur. Insecta faucibus recte, intro est pertractus ad Mandarinos, qui domum subierant quæstionem de Patribus habituri; nec quievit prius, quam se parem cum illis aleam subiturum audiret. Dum lectores certatim angulos omnes ædium perscrutantur, Vagnonus inter populi convicia, & execrationes, tanquam hostis Imperii, & certissimus veneficus abripiebatur in carcerem. Eodem trahitur postredie, licet gravi oppressus morbo, P. Semedus: tum Frater Sebastianus Fernandez, cum adjutoribus Evangelici ministerii decem, qui domi nostræ inveniebantur. Excussa diligenter domo, cum nihil in ea armorum, aut pecuniæ repertum esset, imo præter libellos paucos, & modicam suppellectilem, omnino nihil, mutavit populus mentem, & à furore ad commiserationem traductus est. Ex ipsis Proceribus plurimi in carcerem confluerunt, & multam Patribus operam, ac perhonorificam præstiterunt. Dicta demum in reos à cognitoribus Mandarinis sententia hæc fuit: Aliud Patrum crimen non esse, nisi quod exteri, & peregrina legis Doctores essent; nec graviorem videri poenam commertos, quam ut reportarentur unde advenerant. Molestissimè ferebat Xinus, tam levi eos multari poena, quos ipse ut proditores, ut veneficos, & immanium flagitiorum compertos ad Regem detulerat. Quare, ut cri-

crimini alicujus, & gravioris accusationis materiam deprehenderet, non satis habens ædes nostras propemodum evertisse, vestigandi curam vertit in suburbanum rus exiguum, nostrorum sepulturae destinatum. Ibi latere thesaurum contendebat, & magnum argenti numerum per artem facti. Parietes, & solum omne subruit labore irritum. Nihil repertum est, quod impacta Patribus crimina vel levissimè attingeret. Jamque improbus publica premi se fama cernens, apponebat lucro, si litem invidiosam deserere sine dedecore suo posset: cum nova suborta est præter spem quæstio, quæ novos ad causam persequendam spiritus illi attulit.

Decreverant Patres Pekinenses de amicorum sententia commentarium in vulgus edere, quo suam populo innocentiam probarent. Placuit excudi libellum in ipsa urbe Nankinensi, ubi facultas operis conficiendi promptior, & necessitas defensionis major. Nankinum itaque venit clanculum F. Joannes Fernandez, Sebastiani Fernandez, de quo supra dicebamus, germanus frater, cui ea cura commissa. Is porro, ut res plena periculi confieri quam occultissimè posset, secretum suburbanum operi faciundo cum delegisset, sex adhibuit probatæ virtutis, & fidei typographos Christianos, quibus labori dies & noctes instantibus, negotium brevi confectum est. Tantum admovebatur operi manus ultima, & jam subducta typis folia in volumina compingebantur: cum rem olfecit nescio quis, & ad magistratum detulit. Mittitur è vestigio globus militum, qui operi intentum opprimat. Fernandus, & typographi capiuntur, & in carcerem rapiuntur. Libris potitur Xinus, qui supra modum latus, quod in illis putaret esse, unde illata Patribus crimina confirmaret, Judici cognitionem librorum & causæ demandavit. Nihil in iis reperit Judex, nisi Patrum, & christianæ legis defensionem, invictam. Tamen nec ausus absolvere, quos Xinus tantarum opum Mandarinus damnari volebat, nec damnare, quos noverat innocentes, rem in medio relinquens, judicium rejecit ad Prætozem urbanum, altioris subsellii magistratum. Hic peracta cognitione, etiam Fernandium aequè ac typographos noxa liberaret, tamen respectum habens ad iram & potentiam Xini, Fernandio, quippe clandestinæ editionis auctori, certum plagarum numerum infligi jussit. Præduras, & magnæ crassitudinis cannas ad cruciatum adhibent Sinæ. Est earum crassitudo dimidii fere palmi: longitudo palmorum plus minus decem. Finduntur per longum, & qua parte cavæ asperæque sunt, ea adhibentur ad incutiendos ictus. Reus humi sternitur nudus. Circumsistunt lictores duo robustissimi, qui jacenti femora, crura, surasque contundunt ea sæpe vi, ut caro, rupta pelle, frustatim avellatur, omnia circum sanguine respargantur. Quod nisi pecunia mitigentur sævi lictores, vita ipsa in periculum vocatur interdum; nec raro accidit ut sub immiti fustigatione aliqui expirent. Levior tamen hæc visa animadvertio nequissimo mortalium Xino. Editam in oculis suis apologiam Patrum dolens, qua non tam illos purgatos & absolutos, quam se condemnatum videbat, sententiam urbani Prætoris pro suo munere, ac majoris Mandarinum jure sumit recognoscendam. Negat conscriptum ad meram defensionem librum, sed ad concitandos in Imperii perniciem animos, ciendasque turbas: clara in eo vestigia conjurationis adversus publicam rem deprehendi pugnat. Ergo instaurata coram se causa, Fernandium & typographos diu multumque versat. Cum nihil per callidas captiosasque interrogationes exsculperet, repeti plagas jubet plures, atrocioresque prioribus: quæ cum imponerentur iisdem artibus, qui pridie fuerant lacerati, agrè Fernandus vitam in crudeli supplicio retinuit. Redintegratur post paucos dies quæstio, proluditur novo cruciatu. Cum id unum ultro & liberè faterentur typographi, se christianæ veritati, & innocentie Patrum defendendæ operam commodasse; eorum manus, insertis inter digitos assulis, ita constrictæ sunt, ut ossa pane comminuerentur. Repetuntur deinde arundinum dira verbera, quorum atrocitate cernens barbarus Fernandium emori, & invidiam metuens, illum remisit in carcerem.

Erant in eodem carcere Patres Vagnonus, & Semedus: tum, præter
T. I.

R

Chri-

181.
De editione clandestina cujusdam apologiæ.

182.
Fr. Joannes Fernandez, & Typographi sex conjiciuntur in carcerem.

183.
Innocentes declarantur, sed Fernandez canis tunditur morte Sinico.

184.
Furit Xinus, & novis sævit cruciatibus.

185.
Quam inclementer habeantur in carcere nostri, & Christiani reliqui.

186.
P. Semedus gravi & periculoso morbo laborat.

187.
Fratris Joannis Fernandez miranda patientia.

188.
Duo Neophyti in ipsis vinculis moriuntur.

189.
Novæ Xini machinæ ad opprimendos nostros, & Christianum nomen delendum.

Christianos sex in opere typographico deprehensos, alii decem, quos in nostris ædibus captos supra docuimus: postremo de Societate duo germani fratres, Sebastianus, & Joannes Fernandez. Quantum arumnarum ferrent in hoc ergastulo viri innocentes, majus est quam ut explicare possim. Locus subterraneus, angustus, humilis, solo uliginoso, & nisi ab uno latere nihil habens aperti, quo liberior aura perflaret. Loci squalorem augebat, quæ cæteris solatio esse solet, vincitorum societas: sex quippe civitatis, facinorosi, impii, moribus non modo barbari, verum etiam impuri, ac petulantes, ex omni improbitate concreti. Nihilo meliores custodes carceris, quorum acuebat inclementiam quod scirent, tanto magis se gratificaturos Xino, quanto plus molestiarum vincis Christianis intulissent. Pro victu nihil dabatur, præter modicum oryzæ, & nescio quid oleris. Quod enim amici, quod Christiani, pro suis quisque facultatibus, submittebant, partem multo maximam interceptabat custodum rapacitas. Accedebant propria aliquorum incommoda. P. Semedus tam gravi languebat morbo, ut ejus veniret in dubium, salus & vita; neque tamen ullis impetrari precibus à Xino potuit, ut levandi morbi causa facultatem illi faceret loci mutandi, quamvis id beneficii leges Sinicæ ipsis perduellionis reis concedant. Joanni Fernandez, præter laniatas verberibus carnes, nervus plagarum gravitate læsus incessum negabat. Ferro scævum est à chirurgo, ut ejus vitiosa carnes, & putridæ abscinderentur: quam carnificinam, necessariam quidem & salubrem, sed tamen horridam, ita excepit vir fortissimus, ut admiratione patientiæ motus quidam ethnicus Christo nomen dederit. Sed ex omni illa vincitorum turba felices cum primis Neophyti duo, qui in libertatem ac vitam sempiternam pretiosa morte sunt vindicati. Nomen uni Petrus, Hieronymus alteri. Prior, juvenis annos natus duos & viginti, forma, indole, moribus ornatissimus, castimoniam voto sancitam obtulerat Numini, & inde cognomentum Angeli fuerat consecutus. Carus omnibus, præter quam parenti, & novercæ, quos ob deserta idola infensissimos experiebatur. Cum langueret in vinculis gravi correptus morbo, impetratum fuerat à Xino, ut ad suos è carcere transferretur, curandus domi commodius. Rejecit filium ægrotantem parens immitis, & moriatur cum suis Christianis, inquit, cum quibus vixit. Assensit inhumano seni Xinus, & juvenem in custodiam retrulit: quem P. Vagnonus lætum, ac triumphantem amantissimè complexus, mox inter pios Christianorum fletus precesque morientem composuit. Hieronymus cum similiter incidisset in morbum, operam dabant amici, ut vinculis eximeretur. Ille contra pulcherrimum ducens in carcere pro Christo mori, orare atque obsecrare, ne se hac conditione fraudarent. Tantum dicendo valuit, ut eum amici consolari nequiverint melius, quam votis ingentibus, & hæroe Christiano dignis annuendo. Ita ærumnis consumptus est in ipso carcere. Atque hi duo primi Sinenium omnium, quod ego sciam, fuerunt, qui illustrem pro Christo mortem obierint.

Xinus interim fremens, ac frendens, nihil tot extundi machinis potuisse, quo Patrum accusatio legitima niteretur: illa etiam re efferatus, quod eorum virtutem celebrari passim audiret, videretque tot in eos congesta crimina in calumniarum loco numerari; extrema omnia conari statuit, ut famæ consulere sua, & suam in sententiam Imperatorem traheret. Duas, ut rem conficeret, machinas movet validissimas, Eunuchorum palatinorum favorem, & Bonziorum improbitatem. Horum odia in Christianos, illorum apud Imperatorem gratiam norat. Eunuchos igitur primum colit omni officio: muneribus deinde, & auro (quo venale nihil, præsertim apud Sinas, non est) expugnat. Tum è Bonziis triginta lectissimos Pekinum mittit instructos grandi pecunia, cujus beneficio primarium eunuchum, per quem solum ad aures Imperatoris aditus erat, sibi conciliarent. Addit litteras commendatitias ad purpuratos Christianis infensos, addit libellos calumniis refertos, & probris, ubique disseminandos. Sibi non defuerunt Bonzii scelerati, & ad fallendum æquè ac dicendum exercitissimi. Concurrant omnia tribunalia, querelis, precibus, portentosis calumniis in-

incendunt omnia. His artibus captus est Imperatoris præcipuus administer (Colaos vocant Sinæ), instituitque veteres refricare contra externos suspiciones, donec eo vecondem perpulit Principem, ut omnes omni Imperio exulare Patres juberet. Attoniti ferali edicto, haud secus ac fulmine, qui Pekini erant Patres Didacus Pantoja, & Sabbatinus de Ursis, cum in amicis Mandarinis auxilii nihil invenirent, ad usitatum miseris, ultimumque in perditis rebus perfugium devenerunt, ut poenam sibi non debitam deprecarentur. Mos illic est, ut qui se iniquè ab accusatoribus circumventum, & omni spe destitutum videt, procedat regias ad fores, ibi prosternatur toto corpore, quasi ipsum Imperatorem alloqueretur, libellum denique supplicem cum aliquo munere in mensa hos ad usus parata deponat. Præsto semper est minister ex aula publicus, cujus hæc sunt partes, ut libellos ipsos ac munera Imperatori perferat. Patrum munus fuit charta geographica bellissimè descripta. Sed donis potioribus corrupti eunuchi id egerunt, ut charta cum supplice libello combureretur, omnes autem occupaverunt aditus, ne qua eorum supplicatio ad Principem penetraret. Sic dempta per summam iniquitatem sacra illa velut ancora, & postremo rei desperatæ remedio, urgentibus Magistratibus ut discessum maturarent, parandum tempori fuit. Domus divendita, pretium pro viatico Patribus attributum est. Præter aedes urbanas, erat extra Pekini muros domus, quam nostri olim dono acceperant à Rege. Hæc titulo regiarum largitionis conservata est Societati, commissa cuidam probatæ fidei Christiano ejus custodia, & sic elusa Bonziorum rapacitate, qui sedem istam, P. Matthæi Riccii tumulum, suis numinibus destinabant. Pekino discessum est xv. Cal. Apriles, quem in diem Dominica Palmarum incurrebat. Prius quam in viam se darent Patres, coacto Neophytorum grege, solemnia ejus diei peregerunt, cohortatique multitudinem, ut in professione fidei, custodiaque divinæ legis persisterent, demum flentes à flentibus digressi, Quamceum profecti sunt. Fuerunt in itinere menses omnino quatuor: quo tempore, non modo nulla uspiam injuria violati, sed plerisque in locis, per quæ transeundum fuit, a magistratibus hospitaliter excepti, ac dimissi fuerunt.

At longè aliter Nankini actum cum Vagnono, & Semedo. Hos sceleratus Xinus perduellium supplicio necandos speraverat. Ubi exilio duntaxat multatos vidit, se nummos & operam perdidisse prædicans, si patriam vivi sospitesque reviserent, arumnis conficere aggressus est, quos perimere gladio prohibebatur. Hac mente, etsi rescriptum accepisset de mittendis illico extra Sinam Patribus, eos tamen alium præterea mensam detinuit in illo, quem dixi, squalore carceris, ac demum multo dimisit iniquius crudeliusque, quam detinuisset. Quid improbus hoc medio tempore molitus sit, fusè narrat Vagnonus in relatione, post annum scripta Macai, cujus ipsa verba subjicio. „E' custodia (inquit) producti fuimus per confertam populi multitudinem ad Xini tribunal xvii. Cal. Apriles, ego pedes, Semedus, quia æger, in tabula. Horis duabus ego adstans in genua, Semedus humi jacens, examinati, & subdolis interrogationibus de vita, religione, moribus nostris, lacesciti fuimus à sex Mandarinis assessoribus Xini. Is cum *in sermone capere* nos minimè potuisset, produxit falsos testes duos, a quibus binas contra nos famosas lucubrations fabricandas curaverat. Alter venisse me de Philippinis Insulis objectavit, ubi non ita pridem aliquot Sinarum millia fuerant casa. Venisse me omnino negavi, ac verè. Addidit, me insidiosis largitionibus populum ad Christianam religionem adducere. Quæsi vi, unde id resciret? Cum respondiisset, constare hoc fama, hoc omnium sermone celebratum esse; nihil negotii mihi fuit ostendere, quam parum famæ credendum esset. Quam multa quotidie, inquebam, in Principes, in ipsum Imperatorem mendacia procuduntur à malevolis, & imperitis! Quæ cum ille fateri cogere, obmutuit. Ingressus alter de religione dicere, petivit quænam esset illa, quam doceremus, secta? tribus duntaxat in Sina religionibus locum esse: nostram, hanc legibus excludi. Hominem ego una voce repressi, negans

T. I.

R 2

,, illius

190.
Edicto Regis
tota Sina exulare
jubentur nostri.

191.
Omnis illis aditus
occluditur
ad Imperatorem.

192.
Discedunt Pekino PP. Didacus Pantoja; & Sabbatinus de Ursis.

193.
Relatio P. Vagnoni de actis
contra ipsum & Semedum Nankini.

194.
,, Novo subjiciuntur examini, & falsas accusationes diluunt.

195.
P. Vagnonus
denuo vapu-
lat jussu Xi-
ni.

196.
Cadaver
P. Feliciani
de Silva in-
tegrum in-
venitur.

197.
Cura Xini ne
quo solatio affi-
cerentur Patres
in itinere.

198.
Cum maxima
ignominia di-
mittuntur.

illius partes esse de religione querere: Christianam legem à litteratis, doctissi-
 misque Mandarinis probari, quorum judicio standum esset. His auditis, Xinus
 ad me conversus: Vos vero, inquit, quin commeriti mortem sitis, nemini du-
 bium est, quia religionem novam, & publicis rationibus inimicam atque exi-
 tialem promulgavistis: sed quando Imperator pro sua singulari clementia vobis
 debitum supplicium condonavit, per me non stabit, quin ejus beneficio, licet
 immeriti, gaudeatis: æquum est nihilominus, vos aliqua leviori poena plecti,
 ut populo, quem in errorem induxistis, satisfiat. Hæc locutus, innuit liciori-
 bus, qui mihi confestim paucas quidem, sed gravissimas, & immanitate incre-
 dibili plagas imposuere. Audierant enim improbi, opera mea effectum esse,
 ne pecuniam illis traderent Neophyti, ad redimendam verberum gravitatem.
 Ne caderetur mecum Semedus, in causa morbus fuit. Ita in custodiam uterque
 remittitur. Exacto mense, cum mea jam vulnera coirent, emittitur carcere,
 ac domum nostram deducimur, ut accuratior institueretur, nobis presentibus,
 ejus investigatio: agebant enim defossam in subterraneis cavis argentum, & ar-
 ma. Ibi spectaculum occurrit, quod horrore tunc adstantes, postea urbem to-
 tam ingenti admiratione complevit. Lictores intenti vestigandis adibus, inci-
 dunt in arcam, qua P. Feliciani de Silva tres ante annos mortui cadaver con-
 debatur. Gravis oritur altercatio, aliis eam recludere nitentibus, vetantibus
 contra aliis, & inhumanum facinus, ac jus sepulchri, quod sanctissimum est
 apud Sinas, obtendentibus. Xini satellites, nulla religione deterriti, feretrum
 aperiunt: quo facto incredibilem tyranno consarunt invidiam, & novum inno-
 centiæ nostræ testimoniū invenerunt. Reducto quippe operculo, apparuit cor-
 pus P. Feliciani omnino integrum, extrema tantum nasi parte collisa paululum,
 ac delibata. Et accidit ut coelum, antea serenum, repente post reclusam sanda-
 pilam nubibus foedis, ac tonitru miseretur; quod ethnici sic interpretati sunt,
 tanquam si facinus impium cœlites detestarentur. Conturbavit improbos pro-
 digii novitas, quam ut opprimerent, corpus jussu Xini in deserto extra urbem
 loco abjecerunt. Sed illud Christiani asportatum honorificè condiderunt, ac
 tanquam thesaurum sibi à superis datum pie conservaverunt. Pergit post hæc
 narrare Vagnonus, ut dimissi cum insigni ignominia, ut Quanceum usque per
 sexcenta incommoda devecti fuerint. Nos prolixiorē ejus narrationem paucis
 comprehensam subijcimus.

Decreverat Xinus navigio Patres Quanceum mittere, secundo flumine,
 quæ via commodior, & brevior. Et jam illis deducendis milites præfecerat de-
 cem, & duos Centuriones, serio ante commonitos, ut omnem in ipsos acer-
 bitatem expromerent; nihil enim statui gravius in tales viros posse, qui omnia
 supplicia commeruissent. Sed cum olfecisset, præmissos à Christianis fuisse ad
 ripam fluminis certos homines, qui Patrum inopiam sublevarent, demulcerent-
 que liberali largitione custodum ferociam; mutavit subito consilium, & terre-
 stri itinere victos deportari jussit. Ne vero illos Christiani, quod verebatur,
 redemptos auro, aut vi ereptos in Sina retinerent; ligneas è palis caveas pa-
 ravit, in quibus conclusi, contractique tenerentur quam longum erat iter, do-
 nec Quanceum attingissent. Sic ad exemplum circummitti solent in Sina infames
 rei, priusquam ad supplicium rapiantur. Die igitur constituto (is erat pridie
 Cal. Majas) pertrahuntur ambo ad Judices maleficiorum, quos Taolios appel-
 lant. Ante palatii fores jubentur capillos solvere, quos Sina in verticem glo-
 meratos colligunt. Solutos ridiculum in morem intorquet licitor, rejicitque hinc
 inde in humeros, veluti duas caudas. Togæ deinde latera circa pectus colligit,
 & unum alteri superimponit: quibus rebus significabatur, homines eos esse ge-
 nere barbaros, & civilis elegantia prorsus ignaros. Hinc injecta faucibus
 recte, ac manibus catena, in pratorium à satellitibus producuntur. In genua
 provolutis princeps Taoliorum adventum in Sinam, prædicationem novi dog-
 matis, ac turbulentiæ religionis exprobrat: necis exilio mutata beneficium
 commendat: ejus ut sint memores, ut placide peragant iter, neve ullam rerum

novarum suspicionem præbeant, severè admonet, ne gravius sibi malum acquirant. Caterum custodibus præcipit, ut vim ab illis omnem prohibeant, quin eosdem cavea sua paulisper, ad cibum & somnum capiendum, eximant. Post hæc Patres, in sua singuli cavea collocati, obductisque extrinsecus pessulis clausi, extra prætorium efferuntur. Vias omnes tanta populi multitudo compleverat, ut agrè lictores turbam submoverent. In eo spectaculo, non convicia, non inconditi, ut alias, clamores auditi; sed triste silentium, aut gemitus, & in Xinum dira. Adeo odium ejus impotens, & tot perspecta argumentis Patrum, innocentia, omnium voluntates ad misericordiam inclinaverat. Satellites ipsi verbis humanioribus & amicis solabantur Patres identidem, jubebantque bono animo esse; sibi enim salutem ipsorum, & quantum liceret, etiam commoda curæ fore. Præibant terni lictores cum fixis in hasta sublimi tabulis, ubi decreta tribunalium majoribus inscripta litteris legebantur. Decretorum hæc sententia: Patres esse homines improbos, seditiosos, publicæ quietis perturbatores, novæ religionis, & peregrinæ sectæ magistros: eas ob causas regno ejici. Pars altera feralis pompæ constabat è vexillis tribunalium, & insignibus: tum è tubis variis, timpanis, aneisque crepitaculis. Claudebat agmen manipulus militum. Sub noctem, cum aliquo in loco quiescendum erat, in diversorii partem intimam recondebantur Patres, suis tamen inclusi caveis. Excubabat miles. Timpana sibi invicem respondentia, fragore dissono pererepabant. Quarto primum die laxata sunt parumper claustra cavearum, & data Patribus facultas somni nudo in solo capiendi. Sed ita utrisque obstupuerant ex tam diuturna & incommoda contractione membra, ut vix post horam explicare crura, & pedibus inniti potuerint. Vix demum in pedes se erexerant, cum in caveam quisque suam sunt reportati. Aderat nanque à Xino missus apparitor, investigaturus sedulo quam asperè cum ipsis ageretur, & poenas graviiores pro potestate impositurus, si eos haberi elementius cognovisset.

Ad hunc modum per tres provincias circumvecti sunt diebus triginta, donec Quamceum attingere, inde Macaum discessuri. Est Quamceum caput provincie Cantonienlis, infesta nominè Christiano civitas propter vicinos, qui Macai degebant, semperque suspectos Lusitanos. Itaque duriora ibi omnia, atque acerbiora timebantur. Præter expectationem accidit, ut à magistratibus audirentur benignè Patres, à litteratis officii causa inviserentur. Conjecti fuerant initio in foetidum carcerem, vincit adeo refertum, ut movere gradum, nisi per calcatos vinculorum focios, non possent. Præfectus carceris, motus procerum, ac litteratorum precibus, ut in honestam custodiam transferrentur permisit, facta cuilibet eos conveniendi potestate. Mensè ibi transfegerant non incommodè; cum accessere pariter Quamceum PP. Jacobus Pantoja, & Sabbatinus de Uris, quibus Pekino, ut supra dictum est, pulsus, sed bona fide pollicitis se profecturos recta Macaum, permiserant Magistratus, ut sine custodibus iter facerent. Miratus est urbis Præfectus religionem, qua promissi fidem inviolatè servabant: laudavit animi magnitudinem, qua exilium, poenam apud Sinas morte graviorem, tam fortiter tolerabant. Postea vero quam oppressos crudelitate & invidia Xini comperit, locum illis assignavit in quodam Bonziorum cœnobio, ubi cum PP. Vagnono & Semedo habitarent, & ex arario publico certam pro cibariis attribuit pecuniæ vim; facile etiam passurus ut Quamcej consistenter, nisi Imperatoris edicto cautum fuisset nominatim, ut Macaum deportarentur, quo demum navigare sunt jussi anno proximo ineunte. Nankini interim Patres Vagnonus, & Semedus à Christianis tanquam extincti lugebantur; adeo persuasum vulgo erat, futurum ut itineris tam incommodi molestiis conficerentur. Id speraverat præsertim Xinus, id sibi scelestus proposuerat: qui propterea, ut vivos advenisse Quamceum comperit, parum absuit quin præ dolore ac rabie interiret. Habebat penes se, illorum velut obsides, vincit duodeviginti; præcipuè vero duos de Societate, Joannem, & Sebastianum Fernandez. Istorum saltem, ut sanguine crudelitatem explet, iterum vocat omnes è carcere

199.
Educuntur
Nankino angustis
includi caveis.

200.
Quæ fuerit
itineris ratio,
quam molestâ
Patribus.

201.
Quamceum devecti,
ibi præter spem humaniter
habentur.

202.
Eodem perveniunt
PP. Pantoja, & de Uris,
& simul Macaum
navigant.

203.
Nankini novæ
exercerentur
questiones contra
vincit Christianos.

in jus: torquet eos vaftris interrogationibus, expreffurus indicium aliquod, quo vulgatis contra Patres calumniis probabilem veri speciem imponeret. Videbat enim, nisi hoc utcunque confeciffet, non poffe invidiam à fe amoliri, quam apud omnes bonos maximam oppreffione innocentium contraxerat. Cum nihil ad rem extunderet, promiffis ingentibus adducere conatur Neophytos, ut dicant fe fuiſſe deceptos à Patribus. Id fi faciant, & ritus patrios repetant, non modo veniam, verum etiam opes, & ampliffima præmia pollicetur. Cernens frustra eſſe omnia, plagis dirè contuſos remittit in vincula.

204.
Sententia contra
Fratres Joannem, & Sebastianum Fernandez.

Sed jam fremitus ingens tota urbe audiebatur, ſatis quæſtionum & tormentorum eſſe: cauſam, quæcunque ea eſſet, aliquando finiendam. Quare impar ferendæ invidiæ prædo inhumanus, cauſam ad tribunal maleficiorum, ſive ad Taolios tranſtulit. Iſtorum decreto multati demum exilio ſunt Neophyti. At cum noſtris actum multo inclementius. Frater Joannes Fernandus ad trahendas remulco triremes damnatus, catenam e ferro prægrandem collo circumdatam, & manicas figillo judicum obſignatas diu geſſit; donec Mandarinorum amicorum interventu, & muneribus Chriſtianorum, vincula depoſuit. Fratrem Sebastianum Fernandez, quia matronas complures elementa fidei Chriſtiane docuerat, relegarunt ad magnum murum, quo Sina à Tartaris dirimuntur. Eſt ibi carcer reorum face, tortorum ſævitia, præfectorum feritate celebratus, ac toto formidatus Imperio. Sed eo adducendus cum eſſet Sebastianus, ne adduceretur prohibuit charitas Neophytorum: collata enim pecunia, quæ cum alibi multum, tum in Sina maximè dominatur, innocentem immitti poena exemerunt. Atque hunc habuit exitum turbo periculofus, quo parum abſuit quin Chriſtiana religio, tot ibi noſtrorum ſudoribus conſtituta, funditus convelleretur. Adeo tamen, Deo rem gubernante, non eſt convulſa, ut potius vigere exinde felicius coeperit, & radices altiores egerit. Nam inquirentibus, quid peccaſſent advenæ toto regno nominatiſſimi, quamobrem tam acriter animadverſum in eos fuiſſet, apparebat homines eſſe, non modo innoxios, verum etiam inſigniter probos, doctrina præſtantes, bene de multis meritos, rei demum publicæ haud parum utiles. De religione autem, cujus duntaxat nomine damnati fuerant, tam multa per idem tempus perſcribere Mandarinum Chriſtiani, præſertim Paulus, ut plenum eſſet Imperium ejuſmodi ſcriptis; quæ dum legebantur paſſim, Chriſtiane legis augebatur notitia, hanc approbatio doctorum omnium ſequebatur. Accedebat Neophytorum virtus incredibilis, cujus nihil ſimile in Sina viſum unquam, auditumque eſſet. Parati rerum omnium, quæ cariores eſſe mortalibus ſolent, jaſturam facere, certare pro religione cupiebant, certantibus invidebant, adeo nihil territi vincitorum calamitatibus, ut potius exempli æmulatione incenderentur, & inde vires atque animum ſumerent. Magnum id ethnicis videbatur, nec immerito. Hac una re moti ſunt nonnulli, ut divinam legem amplecterentur. Poſtremo, licet extra continentem Sinicam ejeſti eſſent quatuor quos nominavi Patres, remanebant tamen, diſſimulantibus locorum Præfectis, alii Sacerdotes octo, qui quamquam, ut poſcebant tempora, procul urbibus degerent, & in amicorum ferme villis deliteſcerent, non proinde otioſi erant, aut parum utiles. Itabant ad eos occultè Chriſtiani, ut ſalutis remedia quærent. Aderant ſubinde etiam ut erudirentur ethnici, ex quibus ducentos hoc ipſo tam ſævo tempore Chriſto conciliatos invenio. Magno in primis erat uſu Fratrum adjutorum opera. Homines enim origine Sinenſes, cum non tenerentur lege adverſus advenas lata, agerentque haud ſecus quam cæteri indigenæ palam ac liberè, Patrum, & Chriſtiane rei neceſſitatibus perquam utiliter ſerviebant. Sed de rebus Sinicis ſatis multa.

205.
Nihil detrimenti capit
Chriſtiana religio, &
quare.

206.
Remanent in
Sina occulti Sacerdotes octo,
& rem utiliter ſervant.

207.
RES PHILIPPINARUM.
Mors, & elogium P. Gabrielis Sanchez.

In Inſulis Philippinis initium anni labentis obitu contriſtavit ſuo P. Gabriel Sanchez, virtutis eximia operarius, gente Hiſpanus. Societatem inierat adoleſcens annorum undeviginti, repugnantibus ejus conſilio parentibus, & invitiffimis. Hi cum abeuntem remorari non potuiſſent, dolore perciti, multa nequidquam ad eum retrahendum moverunt. Præter alia, abſtulerunt à Rege reſcriptum, ut ſal-

saltem per Præfectum urbis interrogaretur, sponte ne sua, an à quopiam de Societate deceptus eam inisset? Verum ad hæc respondisse fertur Gabriel, non se à Patribus Societatis, sed illos à se insigniter fuisse deceptos, à quibus obtinisset, ut ineptum caput & indignum reciperent. Expectationem, quam de se à primo Societatis aditu movit, vitæ sanctimonia, & rebus gestis æquavit in posterum. Nemo illo pauperior, nemo majoribus ad qualibet iussa obsequentior. Solebat descriptam professionis suæ formulam gestare collo appensam, velut perpetuum, ac porro magnum ad virtutem incitamentum. Eandem sæpius diebus singulis iterabat. Olim in præsentis naufragio cum versaretur, periturum admonuit natator Indus, ut projiceret propere vestes, si salvus deportari vellet in littus. Ille non tam vitæ periculo, quam verecundiæ motus, quidlibet se malle respondit, quam nudum corpus ostendere: atque ut erat indutus, & natandi imperitus, eiecit se in mare, perrupit undarum immensas moles feliciter, ac terram incolumis attigit. Parochum egerat inter Bissajas annos viginti, cum affirmavit, nullam esse feminam sibi de facie notam: tantam cohibendis sensibus curam, & diligentiam adhibebat. Unus eorum fuit, qui primi Evangelium in Pictorum insulas intulerunt. Primus omnium ingressus est insulam, quam vocant Boholim, omnesque ejus incolas salutis fonte lustravit. Mortalitatem exiit Palapagi, quod oppidum est insulæ Samaris, Calendis Januarii, annum decurrens ætatis quadragesimum octavum, ab inita Societate nonum supra vigesimum. Paulo post ejus obitum, subodorati ejusdem oppidi Patres, latere ibi, & in tota insula feminas superstitionis pristinae retinentes, earumque fraude multos ad impias invocationes Damonum pellici, ad eam labem excindendam confurrexere. Erutæ sunt e suis latebris idolorum formæ duodeviginti, & in foro palam combustæ: quod ita fieri placuit, ut rudioribus persuaderetur, frustra opem & beneficia ab iis posci numinibus, quæ non possent flammaram injuriam à se repellere. Feminas quatuordecim, quæ ejus sceleris delatæ tenebantur, Præfectus insulæ unis conclusit adibus, ne malum virus spargere latius possent. Viris autem ferme quadringentis, qui de se ultro confessi sunt, impunitatem dedit, cum hoc tamen, ut se Patribus erudiendos, & expiandos sisterent.

Cæterum initio anni impeditiorem rerum omnium, tum civilium, tum sacrarum, cursum effecerat in his insulis bellum Batavicum, cui cum accessisset domesticus indigenarum motus, parum, ac prope nihil abfuit, quin Hispani tota Philippinarum possessione pellerentur. Cum Batavis armorum societatem coiverant Mindanenses, totamque illam oram cum infestis navibus percurrerant. Neophyti, metu prædonum, desertis in quos deducti fuerant pagis, refugerant ad montes pristinos. Nostri, capta à Batavis Panaya insula, incensa quæ ibi erat Hispanorum colonia, Arevalensè domicilium amiserant. Nihil usquam pacatum, aut tutum relinquēbatur. Postremo obsidebant Batavi cum classe decem navium Manilensè fretum, urbem fame premebant. Tamen eodem anno mira facta est rerum commutatio, pulsis, fugatisque cum magna clade hostibus. Non est nostri instituti res bellicas scribere, nisi quatenus nostris immisceantur. Itaque ut parata Manilæ classis, ut in hostem educata fuerit, ut una die, quæ fuit pridie Idus Aprilis, Hispani cum Batavo debellaverint, eidemque acceptas alibi clades cumulatè reddiderint, aliis narrandum relinquimus. Quod pertinet ad Societatem, tradunt, eo tempore P. Joannem Riberam collegii Manilani rectorem civitati, ut in rebus omnino perditis, confternatæ addidisse ingentes animos, & unum ex omnibus auctorem fuisse belli adversus communem Regis & fidei hostem capessendi. Quod utcumque sit, idem profecto Rector prodeunti in pugnam classi quatuor dedit delectos collegii Patres, qui militibus sacrorum ministris, & omnium participes periculorum essent. Domi vero tam multa indixit ad implorandam Dei opem piacula, ut videri potuerit illustris illa & insperata victoria, non tam armis parta, quam precibus impetrata. Nec parum interea laboraverunt nostri in insulis, quas Pictorum vocant, ut indigenas tam dubio

tem-

208.

In insula Samaris
reliquæ super-
stitionis excin-
duntur.

209.

Bello Batavico,
& Mindanen-
sium rebellione,
turbantur om-
nia.

210.

Fugantur Bata-
vi, regioni quies
redditur, non
sine opera So-
cietatis.

211.

Nostri in Insulis
Pictorum indi-

genas continent
in obsequio Re-
gis .

212.
Eosdem sibi de-
vinciunt singu-
lari beneficen-
tia .

213.
RES PERUANÆ.
Rector collegii
Potosini, & alii
dño Socii ruina
oppressi mo-
riuntur .

214.
Pium certamen
inter Religio-
sos, & Canoni-
cos circa eorum
exequias .

215.
Publicus dolor
ob mortem Pa-
tris Valentini
Cervantes .

216.
Mors & elo-
gium P. Andrea
Ortizii .

217.
Moritur Ferdi-
nandus Mendo-
za Episcopus
Cuzquensis .

tempore continerent . Nonnullam iis causam tumultuandi dederant Præfetti regi-
gii . Dum enim emunire student objecta hostibus loca , incolas operibus con-
ficiendis adhibebant , idque illis interdum imperabant iniquius : quod homines
ejusmodi omnium insueti molestè ferentes , pronissimi ad rebellandum erant .
Tamen charitate Patrum deliniti , in fide manserunt . Valuit etiam ad eos de-
merendos novum beneficii genus , quod per idem fere tempus Patribus debue-
runt . Frequens ibi est humana corpora venenis infici , tum fraude maleficorum ,
tum morfu serpentium , quas plurimas , maximèque pestíferas tellus alit . Ma-
lum adeo familiare sine remediorum copia non reliquit providentia Numinis :
sponte enim germinant herbæ , quarum succo pestis dira depellitur . Illud erat
incommodi , quod salubrem herbarii succum ita caro vendebant , ut pauperio-
res cogerentur interdum sua omnia , & ipsam libertatem medentibus tradere .
Herbarum nostri nullam habebant scientiam , nec eam avari seplasiarii manare
ad alios patiebantur , ne quæstum amitterent . Tamen , aciente ingenium char-
itate , tantum studio industriaque contenderunt Patres , ut demum artem in-
venerint pretiosa antidota conficiendi ; quæ cum gratis impertirentur , omnium
sibi animos mirum in modum conciliavere . Addunt annales litteræ , multas bre-
vi spatio curationes fuisse factas , & planè miras ; ut passim increbuerit , præ-
ter inditam à natura , divinam quoque virtutem his remediis inesse .

In provincia Peruana tristem labentis anni memoriam fecit repentina cala-
mitas collegii Potosini . Extruebatur in eo eximia altitudinis turris , cumque
esset jam prope ad culmen educta , in supremam ædificii partem ascenderunt
VII. Cal. Novembris Patres Valentinus Cervantes rector , & Sebastianus Del-
gado , cum uno ex domesticis adjutoribus . Aderant struatores , & administri
plures : cum repente , parietibus ab imo fatiscantibus , tota disjecta moles est,
atque ita corruit , ut eadem strage confusi fuerint homines , & camenta , præ-
terque ingentem acervum ruderum , nihil exstaret . Erutis quos ruina afflixerat ,
quidam omnino illæsi inventi sunt , alii gravius leviusque affecti ; nostri tamen,
aliique pauci profus exanimis . In tam acerbo casu , solatio fuit publicus civi-
tatis mœror , & egregia in nostrum ordinem voluntas , quam religiosa præser-
tim familiæ exhibuerunt . Assuere certatim Patres Augustiniani , Dominicani ,
& Franciscani , tum ut dolorem profiterentur suum , tum ut munus exequiarum
sibi deposcerent . Cum non posset omnibus satisfieri , ita compositum est ne-
gotium , ut singuli ordines unum ex tribus defunctis efferrent , eique in suo
quisque templo suprema persolverent . Verum his ita constitutis , adsunt ab æde
primaria Canonici prælata cruce , & à se deberi viris talibus obsequia funeris
contendunt . Ea res initio metum iniecit nostris , ne qua offensio oriretur .
Sed quæ ex charitate nascuntur dissidia , nunquam fit ut non ex æquo & bono
componantur . Satis habuerunt Religiosi , sibi ut peragendum permetteretur exe-
quiale ante sepulturam carmen : supremum honorem tumuli Canonicis relique-
runt . Cervantio tamen multo honorificentius parentaverunt lacrymæ civium ,
qui eo amisso , parentem pauperum , & commune miserorum perfugium requi-
rebant . Ajunt , cum ejus cadaver in ædem illatum est , tantam exortam fuisse
confertæ multitudinis complorationem , ut plerique negarent sibi alias visum
esse spectaculum illo tristius .

Parem ferme jacturam fecit residentia S. Crucis , amisso P. Andrea Or-
tizio , qui cum evangelico ministerio missus ad coloniam S. Francisci de Al-
faro , ibi laboribus attritus occubuit . Cives ejus oppidi ut virum sanctissimum
exceperant venientem , mortuum incredibili luctu extulerunt , certaruntque
inter sese , ut ex ejus tunica , capillis , unguibus aliquid carperent . Indidem
haud multo post fuerunt transmissa ad Præpositum S. Crucis testimonia plus-
quam viginti , publicis actis excepta , quibus septem ægroti dicebantur præter
naturæ ordinem , sola Ortizii invocatione , convaluisse . Accessit postremo loco ad
detrimenta provinciæ Peruana mors Ferdinandi Mendoza Episcopi Cuzquensis ,
qui plures annos inter nos dubia , ne dicam adversa fama versatus , Societatis
num-

nunquam melior visus est filius, quam post eam desertam, initumque Episcopatum. Exinde sane tam illustria dedit documenta, non modo probitatis, sed etiam eximie in nostrum ordinem benevolentie, ut omnes anteaeræ vitæ maculas cumulatè deleverit. Hic ille est Ferdinandus Mendoza, notus Societatis turbator, cujus causa Cláudius Aquaviva Generalis multis gravibusque molestiis fuit affectus, ut in quinta Historiæ parte fusè narrat Juvencius. Laxioris olim disciplinæ vir, tandem ad meliora conversus, & Episcopus nominatione Regis Catholici renunciatus anno MDCXI., quod reliquum fuit temporis ita vixit, ita Cuzquensem rexit Ecclesiam, ut nullam in eo partem optimi Pastoris desiderares. Crebro ad concionem dicere, quæstiones de moribus explicare, obire suis temporibus diocesim, gregeam non verbo minus quam exemplo recte instituere, uti cœperat ab initio, ita perrexit usque ad extremum. Usu autem edoctus, amplio rem esse diocesim, quam ut ab uno Antistite administrari posset, egit cum Rege, perfecitque ut divideretur, & ex una tres fierent; nihil pensi habens, quod lautus proventus similiter in tres deinceps Episcopos dividendi essent. Erat namque opum contemptor splendidus, nihilque sibi de tam magnis redditibus, præter necessaria ad vitæ usum, assuebat: reliquum, aut ad Dei cultum, aut in subsidia pauperum erogabat, Nostris hominibus utebatur per quam amicè, ac familiariter, Nihil illis inconsultis statuere gravioris momenti solebat, nec præter eorum consuetudinem, solatium ullum curarum admittebat. Cubiculum assignari sibi curaverat in collegio Cuzquensi, ut sociorum uni; seque in illud per intervalla temporum recipiens, eodem ac cæteri victu cultuque utebatur. Seminarium educandæ juventutis fundaverat eo animo, ut à nostris regeretur: sed illud Canonici, tempore interregni, per se regendum sumpserunt.

In provincia Mexicana, post foedam illam Tepeguanorum rebellionem, quam anno proxime evoluto narravimus, id agebant sedulo nostri, ut cladem religionis novo ubique fructu sarcirent. Agrum Cinaloensem viginti septem operarii Societatis procurabant; sic tamen ut integro semestri pagos omnes Indorum, ac mapalia lustrarent: semestri altero velut receptui canerent, seque in urbem Cinaloam referrent, ubi rerum cœlestium contemplatione vegetiores effecti, ad solita ministeria viribus reparatis reverterentur. Novem domiciliis tota missio constabat. In oppido Cinaloa, ut in arce summa regionis, statio præcipua erat constituta. Recentiores ad Christum accesserant qui Mayum flumen accolunt. Apud eos duo de nostris versabantur, ac decem Neophytorum millia, suæ curæ commissa numerabant. Plura etiam numerassent, si plures habuissent Evangelici ministerii adjuvatores. E' collegio Angelopolitano, & aliis passim, profectus est in Indorum oppida finitima; tantoque fuit utilior istarum expeditionum labor, quanto plus requirebatur operæ ad preparandos animos Jubilæo, quem summus Pontifex in missionum gratiam indulserat. Ex eodem collegio Angelopolitano Sacerdos Societatis ad Temalcalcingios, quos nullus adhuc nostrorum adierat, invitatus venit; prius tamen vernaculam ipsorum linguam perdere studuit, cujus quia rudis erat Parochus, opem illis afferre necessariam non poterat. Longius evagatus est alius è collegio Guatimalensi, perrexitque ad urbem Granatensem in provincia Nicaragua, quindecim dierum iter à Guatimala. Exceptus summa cum voluptate, non a civibus tantum, sed etiam ab Episcopo, qui suas illi ædes habitandas offerebat; divertit ad publicum valetudinarium, & omnes diligentis operarii partes ita explevit, ut jam tum Societati civitas domicilium decreverit, quod quarto post anno conditum est. Interim Patres Mexicana domus cum intelligerent, quantum ad christiana plebis mores componendos in Cleri ac Sacerdotum moribus exemplisque momenti sit, dabant operam sedulo, ut Cleri vita responderet dignitati, ac sanctitati ministerii, quod huic nomini est impositum. Ad eam rem nihil præstabilius fieri posse putaverunt, quam si Clericorum quoddam sodalium institueretur, in quo formarentur diligentius ad omnes officii sacerdotalis partes, & mutuis exemplis accenderentur. Laudavit consilium Archiepiscopus Mexicanus, seque præclari

To. I.

S

opc-

218.
Ejusdem virtutes, & erga Societatem benevolentiam in Episcopatu.

219.
RES MEXICANÆ.
Nostri Cinaloam excolunt cum ingenti fructu.

220.
Fructuosæ expeditiones è collegio Angelopolitano, & Guatimalensi.

221.
Patres Mexicani fingendis ad pietatem Clericis operam navant.

222.
Primordia collegii Zacateceni, & Meridani.

223.
Meridæ supplicatio quadraginta horarum instituitur.

224.
Ibidem Jubæus promulgatur cum insigni pompa.

operis ducem auctoremque præbuit. Non minore studio educabatur eodem tempore juvenus nobilis in seminario S. Ildephonsi, unde velut ex umbra domestica in Sacerdotii lucem progrediebantur identidem ornatissimi juvenes, totique provinciæ exemplo, & ornamento erant.

Idem interea annus natalis collegio Zacatecano fuit, ubi prius modica tantum statio nostrorum erat confitura. Illi ædificando suarum fortunarum partem addixit vir nobilissimus Vincentius de Saldivar, idemque octo aureorum millia contulit ad extruendam ædem sacram; ac si quid præterea esset necesse ad manum ultimam operi imponendam, ultro promisit. In urbe Merida jacta fuerant anno præterito collegii fundamenta, seu rudimenta potius, Episcopi ac civitatis summa gratulatione. Datum est hoc anno vertente initium aliquod scholis, in quas præter expectationem frequentes & læti pueri convenerunt. Id eo accidit gratius, quod merito verebamur, ne otio & libertati Juventus assueta, agrè litterariis inclusa septis teneretur, Maximam autem admirationem, ac voluptatem populo attulit horarum, ut vocant, quadraginta comprecatio, hoc primum anno in eandem urbem inducta. Toto triduo, quo Christus in Eucharistico latens pane adorantium venerationi patuit, incredibilis fuit omnium ætatum atque ordinum in sacram ædem coneursum; tantusque ad sacra poenitentiae tribunalia, ut neque nostri, neque alii foris acciti Sacerdotes consentientium multitudini satisfacere potuerint. Sed fructus inde pulcherrimus exstitit, quod hac arte licentia bacchanalium compressa est, sublatusque mos deterrimus, & apud gentem inveteratus, quo se alii alios ad singularia certamina provocantes, in mutuas cædes ruebant. Spectaculum aliud civitati jucundius propositum est ab Episcopo; cui cum placuisset Jubilæum Pontificium cum aliquo apparatu promulgare, res ita peracta est. Processerunt è collegio nostro delecti pueri quadraginta, equis magnificè instratis vecti. Sequebantur cum suis insignibus Magistratus, & primores civitatis, quibus præibat adolescens vexillum ornatissimum; in eoque affixum Pontificium diploma præferens. Hoc ordine urbem totam obequitantes, devenerunt in forum, ubi festo inter tubarum, tympanorum, & tormentorum bellicorum strepitus, promulgata est Jubilæi celebritas, & ad percipiendum cœleste beneficium civitas excitata.

